ACTUS SOLENNES
GYMNASII REGII AUGUSTANI
CONFESSIONI AUGUSTANAE

ADDICTI

A. D. VI. CAL. SEPTEMBR. MDCCCXXXIX

RITE HABENDOS

RECTORIS ET PROFESSORUM COLLEGII NOMINE

INDICIT

JOAN. HENR. THEOPH. SCHMIDT,

GYMNASII PROFESSOR.



INEST

DISSERTATIO DE AESCHYLI SUPPLICIBUS.

AUGUSTAE VINDELICORUM,

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA J. C. WIRTH.

MDCCCXXXIX.

Jussus conscribere aliquid, quo autumnalia scholae nostrae solemnia indicerem, Supplices ad hoc sumere animum induxi, et ut eam, quam alias institueram, persequerer commentandi rationem, tria mihi proposui: ut quaererem, quem locum haec tragoedia in trilogia obtinuisset, ut explicarem, quid poeta, quum eam ad scenam componeret, cogitatione ac mente complexus esse videretur, ut tentarem, si quid auxilii locis quibusdam obscuris aut corruptis adferri posset.

Ac primum quidem, quum tragoediam, in quam inquirimus, adtente legemus, quaedam a poeta ita memorata esse inveniemus, ut, nisi antegressum esse aliquid arbitremur, ad quod referantur, ea temere dicta nec loco suo posita esse videantur. Nam, ut his modo utar exemplis, Danai filiae, quae periculi instantis metu perculsae *vv.* 722—23 de patruelium atrocitate, procacitate et bellandi cupiditate insatiabili cum patre conquerebantur, addiderunt: λέγω πρὸς εἰδότα. [1]) Item ipse Danaus, ad filias referens, quid Argis effecisset, *vv.* 961 — 62 hoc maxime adtigit, Argivos, ubi ex se audivissent, quae res ipsis cum fratris sui filiis intercessissent, ira fuisse commotos καί μου τὰ μὲν πραχθέντα πρὸς τοὺς ἐκτενεῖς φίλους πικρῶς ἤκουσαν αὐτανεψίους. Uterque locus quid sibi velit in fabula, quia nullius rei usquam mentio fit, ex qua id adpareat, non liquet, nec omnino, quae haec facta, de quibus loquitur poeta, fuerint, suspicari possumus. Nam loco posteriori non fugam Danaidum nec impetum Aegypti filiorum, illas insectantium, ut vi caperent captasque uxores ducerent, significari, id ex eo est perspicuum, quod Argivi, iam antea ab ipsorum rege edocti, caussarum, cur illae Argolicam terram fuga petivissent, non ignari fuerunt, et res ipsa, nisi adjunctis, quae odium in Aegypti filios struerent, tam foeda non fuit, ut in animis Argivorum, hominum gravium atque fortium, tantum indignationis concitare posset. Quid quidem Pelasgus rex, totius gentis personam gerens, de ea senserit, id et patet ex *v.* 330, ubi Danaides etiam vituperat, quod connubium cum patruelibus, quo utraque stirps, arctius inter

---

[1]) Lectorum caussa monendum est, me in citandis locis usum esse editione Wellaueriana.

se juncta, opibus plus valeret, recusent σθένος μὲν οὕτω μεῖζον αὔξεται βροτοῖς, et maxime cognoscitur ex iis, que *vv.* 382—84 dicit:

Εἴ τοι κρατοῦσι παῖδες Αἰγύπτου σέθεν,
Νόμῳ πόλεως φάσκοντες ἐγγύτατα γένους
Εἶναι, τίς ἂν τοῖσδ᾽ ἀντιωθῆναι θέλοι;

Itaque, nisi poetam, quod inepti aliquid dixerit, accusare, vel eum certe negligentiae crimine arguere volumus, statuere quodammodo cogimur, aliam fabulam, nostrae finitimam ac propinquam, ex qua illa depromta sint, huic proxime antecessisse. Atque haec caussa esse videtur, cur Guil. Schlegelius, homo et ad cogitandum acutissimus et talium rerum peritissimus, primus Aegyptios, quorum nomen reperitur in tragoediarum, ab Aechylo scriptarum, indice, principem trilogiae locum tenuisse existimaverit [2]). Quam sententiam postea Welckerus, vir optimarum artium disciplinis egregie instructus, praeter alios [3]) amplexus et ita tuitus est, ut trilogiam nostram ex Aegyptiis, Supplicibus et Danaidibus constitisse demonstraret [4]). Ita haberemus quidem, ad quod loci illi revocari possent, sed aliae difficultates non minores exsistunt, quas V. doctus, ut Gruppius, homo ingeniosissimus, in libro, quem Ariadnen inscripsit, argumentis luculentissimis docuit, non satis secum reputasse videtur. Etenim trilogiae natura ita fert, ut in fabula, quae inter primam et postremam interjecta sit, non solum praecipua ac gravissima actionis pars, in qua tanquam in cardine reliqua omnia vertantur, contineatur, sed etiam summa vis tragica, quae dicitur, coarctata ac referta cernatur. Quorum nihil in Supplicibus, quocumque animum adtenderis, invenies. Nam, ut, quod alias carminum hujus generis est proprium, praetermittamus, eam totius fabulae summam esse videmus, ut poeta sermone admodum remisso utens Danai filiarum adventum in Graeciam memoret, quid loquutae sint, petentes a rege Argivorum, ut cognationis ratione habita, ipsas civitate receptas contra patruelium injurias defenderet, exponat, deinde quid metuens rex initio preces earum repudiaverit, quibus autem diris minis denique commotus sit, ut petentibus satisfaceret, referat, post praeconem, ab Aegyptiis missum, ut vel vi vel artibus Danaides abriperet, inducat, et postremo adjiciat, quemadmodum eae patrocinio civium suffragiis impetrato, connubium cum Aegyptiis exsecrantes Argos migraverint.

---

[2]) Vide, quid ipse de hac re disputaverit in libro: Dram. Vorles. I. p. 150 etc.

[3]) In eadem fere sententia est Conzius, ut ex ea, quam interpretationi Supp. teutonicae praefixit, praefatione p. XI. etc. intelligi potest.

[4]) Cum Welckero senserunt Hauptius et Droysenius, ille in edit. Suppl. p. 112, hic in Supp. argumento, quod fabularum Aeschylearum conversioni e Graecis addidit. Berolini MDCCCXXXII.

Haec omnia apta quidem sunt, ad spectatorum animos ad ea, quae gerantur, praeparandos, sed, quum absit omnis et actio et vis tragica, non idonea putantur, ex quibus trilogiae media pars sit conflata. Quare Gruppium, qui Godofr. Hermanni, viri doctissimi omnique eleganti doctrina politissimi auctoritatem sequutus Supplicibus principem in trilogia adtribuit locum, recte vidisse crediderim [5]. Nec minus probatur mihi alterum argumentum, quo sententiam suam contra Welckeri opinionem confirmavit, verisimile esse negans, a poeta omnia, quae deinceps essent acta, ut dimicationem inter Aegypti filios et Argivos ortam, pacem inter utrosque Danao intercessore conciliatam, necem sponsorum (excepto Lynceo, ab Hypermnestra servato), judicium de Hypermnestra, quam, ipse pater ream fecisset, et de ceteris Danai filiabus Argis commissum spatio unius libelli admodum angusto esse inclusa. Nam quum harum rerum tam variarum et late patentium rationem cum ceteris fabulis ab Aeschylo scriptis comparaverimus, non dubium videbitur, quin et ea, quae ad judicium de Danaidum facinore pertinebant, et ea, quae inter adventum earum in Graeciam et hoc judicium interjecta erant, a poeta in singulis tragoediis separatim sint tractata; unius certe et nomen (Danaides) et reliquiae exstant [6], alterius autem ejusque mediae nomen, tametsi Gruppius Aegyptiorum esse statuit, una cum argumento periit. Sed de hac re non multo post videbimus, nunc, unde digressi sumus, revertamur.

Praeter caussas illas duas, a Gruppio adlatas, plures aliae in ipsa poematorum descriptione atque compositione, qua Aeschylus uti solebat, reperiuntur, quae obstent, quominus Supplices inter tres tragoedias mediam fuisse arbitremur. Primum poeta ita exorditur, ut fabulam inchoatam non pertexere, sed novam inchoare voluisse videatur [7]. Itaque Danai filiae, simulatque ad terram Argolicam adpulsae in vicinitate urbis, quam Pelasgi incolebant, consederunt, narrant, unde venerint, et, ne quis culpa se implicitas domo profugisse suspicetur, addunt, se non ob caedem factam pulsas, sed sua sponte, ne patruelibus, quia nefas putassent, nubere cogerentur, patriam reliquisse, et

---

5) Herm. in opusculis suis T. II. p. 310 non contendit quidem, hunc locum iis esse adsignandum, sed tamen Supplices et Danaides ita inter se contineri dicit, ut non desiderent aliam fabulam, ad quam respiciant. Verba ejus haec sunt: „Videntur autem, nisi quidem indicia fallunt, inveniri exempla quaedam argumentorum per duas tantum fabulas continuatorum: cujusmodi sunt ex Aeschyleis duo Promethei, ac Supplices et Danaides".

6) Has collegit atque commentatus est idem Herm. in libello: de Aeschyli Danaidibus dissertatio Lips. MDCCCXX.

7) Hoc non pugnare cum iis, quae supra a me sunt dicta, ex oratione progrediente elucebit.

parentem, qui ipsis suasisset, ut Argos, abs qua urbe oriundae essent, se conferrent, et consilii et fugae autorem fuisse. Deinde diis, qui istis locis praesidebant, et maxime Jovi, generis satori, supplicantes, ut animis benevolis ac propitiis ipsarum patrocinium suscipiant, simul edocent, se, ortas ab Epapho, quem Jupiter adtrectatione (ἐπαφῇ) ex Io genuisset, propinquitate cum iis esse conjunctas, et idcirco non indignas, quas ab Aegypti filiorum injuriis tueantur. Quae quum legimus, ultro nobis occurrit, sic ordiri non ejus esse, qui ad narrationem rei exponi quidem iam coeptam, sed mora quadam aliquamdiu intermissam redeat, et reliqua persequatur [8]).

Deinde multa posthac dicuntur, quae illam fabularum partem, quae maior ac gravior est putanda, tantummodo adtingunt, ut spectatores, quae eventura sint, cogitatione praecipere possint, et omnino res, quae ad actionem pertinent, paulatim congeruntur, et ita inter se miscentur, ut ea, quae in tragoediarum ratione impedimentorum implicatio ac fortunae vicissitudo adpellatur, instructa et praeparata esse videatur. Ob hanc caussam chorus *vv.* 127—32 sibi gratulatur quidem, quod secundo vento navigans sospes incolumisque in Graeciam adventarit, sed a Jove hoc exspectat, ut, quum ad discrimen ventum erit, res suas ad prosperum exitum adducat *ἀχείματόν μ' ἔπεμπε σὺν πνοαῖς· οὐδὲ μέμφομαι· τελευτὰς δ' ἐν χρόνῳ πατὴρ ὁ παντόπτας πρευμενεῖς κτίσειεν.* *vv.* 713 — 14. Danaus filias, quae, nuntiata Aegypti filiorum adpropinquatione, perterritae erant, ita consolatur, ut homines, qui deos non revereantur, certo tempore et constituta

---

8) Quae quum iam scripsissem, praeclara dissertatio A. Tittleri, phil. Dr. Posnaniensis, de Danaidum fabulae Aeschyli compositione dramatica, typis repetita in: Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft etc. Fünfter Jahrgang 1838. Zehntes Heft, mihi in manus venit. Hujus libelli auctor, etsi Gruppii vestigiis est ingressus, tamen multa de suis addidit, multaque ita illustravit, ut ad veritatom proxime adducta esse videantur. Maxime vero mini adrisit, quod de Supplicum exordio disputavit, ut eo probaret Aegyptiorum drama non primum fuisse, et hanc ob caussam, praesertim, quum existimen, futurum esse, ut sententia mea ipsa magis confirmetur, non dubito, totum locum subscribere. „Aeschyli tragoediarum ratio ea est, ut, quae „fabulam incipit actio, proponatur tanquam vinculum longioris alicujus seriel; cujus „reliqua illa antegressa iam vincula ad exordium usque, sive cognita fuerint specta-„toriaus seu non, necesse erat aliquo modo cum iis communicare. Quod quum in „universum chori sit munus, primum praecipue ejus cantum seu parodum huic rei „adaptasse videtur Aeschylus, id quod Agamemnone certe et Persis probatur. Ejus-„modi igitur longior parodi cantus, qualis est etiam Supplicum fabulae, qui versatur „in illustrandis rebus praeteritis primae tragoediae indicium non injuste haberi po-„terit. Quod si negaveris, at illud certe concedes, optime ei convenire; itaque me-„rito conjicere possumus, pariter atque Supplices Aegyptios etiam incepisse longiore „chori expositione rerum praeteritarum, quasque eorum mens desideraret vel „metueret futuras. At quum, si Aegyptios statueris tragoediam primam, ex Supplicum „constructione necessario sequatur, eodem modo Danai etiam filias in postremo dra-„mate exposuisse cantu, quae inter receptum apud Argivos ad internecionem usque „sponsorum acta essent, habebis tres easque longissimas chori cantilenas etc.“

die poenas daturos esse dicat θάρσει· χρόνῳ τοι κυρίῳ τὲν ἡμέρᾳ θεοὺς ἀτίζων τις βροτῶν δώσει δίκην. Porro altera chori pars *v.* 765 queritur, hunc esse rerum statum, ut malum ipsi imminens non amplius effugi possit ἄμφυκτον δ' οὐκ ἔτ' ἂν πέλοι κέαρ. Luculentius etiam *vv.* 1032 — 35 idem admonet Hemichorium β' exclamans: ὅ τί τοι μόρσιμόν ἐστιν, τὸ γένοιτ' ἄν. Διὸς οὐ πάρβατός ἐστιν μεγάλα φρὴν ἀπέρατος. Quis est, qui nesciat, ejusmodi locos a poetis in fabularum principiis intexi solere, ut ii, qui spectandi causa adsunt, quorsum res evasurae sint, praediscant, et quasi per involucra atque integumenta perspiciant? Accedit, quod Aechylus, qui in trilogiis ternas fabulas ita conjungere consueverat, ut alia ex alia nexa et omnes inter se aptae colligataeque essent, in extrema quavis antecedenti, quae in ea, quae proxime succederet, agerentur, certis quibusdam indiciis significavit [9]). Itaque quum in Supplicibus praeco, ab Aegypti filiis missus, qui eorum nomine Danaides, in quas nullam Argivi haberent potestatem, reposceret, cum Pelasgorum rege, qui se illas invitas unquam dediturum esse negat, ita altercatur, ut sine armis res componi non posse videatur, quis non intelligit, hunc totum locum a poeta esse usurpatum, ut spectatorum animi ad certamen, quod instaret, et ad id, quod inde sequeretur, adtenti tenerentur, simulque tempus, quod rei momentum faceret, propius admoveretur? Id secum reputans nemo profecto erit, qui fabulam, quae et actione et vi tragica careat, et nonnisi, quae futura sint, doceat, inter tres mediam eamque praecipuam fuisse putet.

Praeterea fati invicta necessitas, quae, ut in omnibus antiquis, sic maxime in Aeschyli tragoediis dominatur, in Supplicibus ita exsistit, ut non, quod secum constituit, exsequi, sed quod fieri vult, struere videatur. Quare Danaidum chorus, expositis caussis, cur in Argolicam terram advenerit, subito quodam metu, ne propter fugam ab Aegypto in novas incidat calamitates, commovetur, nec quidquam auxilii usquam videt, nisi dii generis autores opem ferant. Sic enim Aeschylus in plerisque fabulis vim, quam fatum rebus humanis adhibeat, indicare solet, ut homines, qui iis, quae geruntur, intersint, ob caussas, quarum sibi non satis conscii sint, aliquid mali praesagiant, et rerum eventum a voluntate necessitatis cujusdam, quam mente comprehendere nequeant, in dubio positum esse sentiant. Documentum capere possumus ex Persa-

[9]) Hac ita esse, comprobatur testimonio Ad. Schoellii, hominis rerum antiquarum scientia instructissimi, qui in libro nuperrime edito: Beiträge zur Kenntniss der tragischen Poesie der Griechen. Erster Band. Die Tetralogien der attischen Tragiker. Berlin 1839. p. 24 ita dicit: Umgekehrt muss man, seit Welcker's Erläuterungen, sagen: Wir kennen nun kein einziges sicheres Beispiel einer unverbundenen Dramen-Reihe des Aeschylus, und wer ihm noch solche zuschreibt, der macht eine Vermuthung auf seine Faust u. s. w.

rum fabula *vv.* 93 — 101; postquam enim chorus ingentem armatorum copiam omniaque praesidia, quibus adjutus Xerxes Graecis bellum intulisset, enumeravit, et idcirco speravit, fore, ut omnia bene evenirent, subito, quasi divinitus perculsus, metuit, ne dei cujusdam fraus cuncta prosterneret, et ad Persarum perniciem incumberet:

> Δολόμητιν δ᾽ ἀπάταν θεοῦ
> Τίς ἀνὴρ θνατὸς ἀλύξει;
> Τίς ὁ κραιπνῷ ποδὶ πηδή —
> ματος εὐπετέος ἀνάσσων;
> Φιλόφρων γὰρ σαίνου —
> σα τὸ πρῶτον, παράγει
> Βροτὸν εἰς ἀρκύςατα,
> Τόθεν οὐκ ἔςιν ὑπὲρ θνα —
> τὸν ἀλύξαντα φυγεῖν.

Omnino magnam hujus loci similitudinem esse cum initio fabulae nostrae, ignorari non potest [10]). Hic metus Supplicum in iis, quae sequuntur, non minuitur, sed crescit, nec tamen quidquam accidit, ex quo cognoscatur, eum non temere in Danaidum animis concitatum esse; itaque, quia in tota fabula non cernitur, quid molitura necessitatis fatalis vis Supplicum pectora curis tam anxiis impleverit, non possumus non statuere, quidquid fuerit, hoc, nisi adjuncto, quo id, quod in tragoedia nostra agi coeptum esset, ad exitum propius adduceretur, intelligi non potuisse. His omnibus quaesitis atque consideratis mihi persuadere non possum, ab Aeschylo Supplicibus in trilogia eum locum esse adsignatum, in quem, tanquam in medium, praecipua actionis pars ferretur; itaque istam fabulam, quia nusquam est absoluta, sed maximam par-

---

[10]) Hac caussa motus in *vv.* 71 — 76

> Γόεδνα δ᾽ ἀνθεμίζομαι
> Δειμαίνουσα φίλους τᾶςδε φυγᾶς
> Ἀερίας ἀπὸ γᾶς
> Εἴ τις ἐςὶ κηδεμών.
> Ἀλλὰ θεοὶ γενέται, κλύετ᾽ εὖ τὸ δίκαιον ἴδοντες κ. τ. λ.

φίλους mutaverim in θεούς, quum illud vocabulum hoc loco plane sit otiosum, et cogitatorum seriem turbet. Primum hoc Aegypti filios designari, eo minus probabile est, quod Danaides patrueles, quos sibi cedentibus atrociter instare iam paullo ante questae erant, per se pertimescebant; deinde Aeschyli diligentia atque subtilitate non satis dignum videatur, ita dicere: pertimescentes patrueles, si quis (eorum) fugae ab Aegypto curam gerat; nam illos fugae gessisse curam constat, et ideo Danaides deorum supplices factae erant. Quae quum vidisset doct. Schuetzius, ut loco laboranti succurreret, monuit, verba τᾶσδε φυγᾶς non ad φίλους, sed ad ἀνθεμίζομαι referenda esse, ita vertens: Querelas fundimus — si quis fugae hujusce nostrae ab Aegypto curam gerat, sed quae sententia sub his verbis subjicienda esset, non addidit, nec ipse locum perspexisse videtur, ut ex eo intelligitur, quod amicos (φίλους) et patrueles eosdem esse dixit, et, quamquam Genit. τᾶσδε φυγᾶς ex verbo ἀνθε-

tem desiderat, quo et sustentetur et illustretur, in trilogiae initiis fuisse collocatam arbitror.

Verumtamen quum loci illi, de quibus supra mentionem feci, nisi concedamus, praemissum fuisse aliquid, non habeant, quo referantur, existimaverim, Aeschylum alios mythos, qui Jonem ejusque progeniem, dum in Aegypto versabatur, usque ad tempus, quo Danai filiae hanc terram reliquerunt, adtingebant, traditos separatim tractasse, et eos ipsos in formam trilogiae redegisse. Quae opinio eo magis mihi probatur, quod Aeschylus iam in Prometheo Vincto *vv.* 855 — 71 ea, quibus trilogia nostra contineretur, descripsit:

Πέμπτη δ' ἀπ' αὐτοῦ γέννα πεντηκοντόπαις
Πάλιν πρὸς Ἄργος οὐχ ἑκοῦσ' ἐλεύσεται
Θηλύσπορος, φεύγουσα συγγενῆ γάμον
Ἀνεψιῶν· οἱ δ' ἐπτοημένοι φρένας
Ἥξουσι θηρεύσοντες οὐ θηρασίμους
Γάμους κ. τ. λ.
Γυνὴ γὰρ ἄνδρ' ἕκαστον αἰῶνος στερεῖ·
Μίαν δὲ παίδων ἵμερος θέλξει, τὸ μὴ
Κτεῖναι σύνευνον, ἀλλ' ἀπαμβλυνθήσεται·
Αὕτη κατ' Ἄργος βασιλικὸν τέξει γένος.

Haud dubium igitur videtur, quin poeta illo loco utrumque mythum, et eum, qui de Prometheo, et eum, qui de Danaidibus erat, conjunxerit, ut longiorem quandam fabularum, prima quidem specie diversarum, sed interiori cognationis vinculo inter se cohaerentium, seriem, quam in scenam introducturus esset, significaret. Haec eadem ejus mens cognoscitur in Supplicibus, in quibus *vv.* 535 — 65 Jus fuga in Aegyptum, quam in Prometheo Vincto *vv.* 705 — 820 copiossius exposuerat, iterum narratur. Quid poetam, quem

---

μίζομαι pendere contendit, tamen verba illa ita transtulit in latinum sermonem, ut Gen. ex voc. sequenti *κηδεμών* aptus esse videatur. Sed ut hoc interim missum faciamus, quaeritur, quis praeter Aegyptum ejusque filios ille fuisse putandus sit, quem metuit chorus, ne fugae curam gereret. Hoc non facile est ad dijudicandum, quum nusquam reperiatur, ex quo id conjici possit. At omnis difficultas tollitur, quum *θεοὺς* legimus. Quo facto et videmus, cur chorus sit in metu, quia deos, si quis terram patriam alia mutaverit, ei velut neglectos irasci solitos esse scimus, et ipsa oratio, quum ea, quae dicuntur, de necessitate fatali sint intelligenda, *θεοὺς* requirere videtur. Atque ipsum chorum de diis aegyptiis cogitasse, adparet ex *v.* 73, ubi particula *ἀλλὰ* habet vim adversativam, et deos graecos, abs quibus se ortas esse Danaides gloriabantur, et opem exspectabant, diis aegyptiis opponit. Deinde vocc. *ΘΕΟΥΣ* et *ΦΙΛΟΥΣ* non ita inter se discrepant, ut mutationem fieri potuisse dubitemus, praesertim quum voc. *φίλους* in tragoedia nostra saepius obviam fiat, et eam ob caussam facile cogitari possit, quem ad modum in locum nostrum irrepserit. Itaque si *θεοὺς* restituimus, Genit. *τᾶσδε φυγᾶς* ad verba *κηδεμὼν ἐστι* referendum esse putamus, et haec cum cl. Bothio in eam partem accipimus, ut significent: cui curae est, quemque sollicitat fuga nostra, omnia praeclare se habent.

alias sine caussa res non repetivisse scimus, commovere potuisset, ut in tragoedia nostra id faceret, nisi ejusmodi aliquid, quod diximus, spectasset? Id autem si statuimus, veri simillimum est, eum, quod inter utrumque hunc mythum interjectum erat, silentio non praeteriisse, praesertim quum in eo caussa rerum, quae postea gererentur, quaerenda esset. Quamquam haec in opinione sunt posita, tamen in Supplicibus ipsis nonnulla reperiuntur, ex quibus colligas, rem ita fuisse; maxime vero colloquium, quod Pelasgus rex *vv.* 308—22, ut exploraret Danai filias, num verum dixissent, cum iis de ipsarum maioribus seruit, indicio esse puto. Tota enim progenies Jus enumeratur, ejusque tam guarus est Pelasgorum rex, ut, unde ei haec notitia rerum exterarum venerit, recte miremur. Quid igitur? nonne idem accidisset spectatoribus, et nonne hic locus omni vi scenica caruisset, nisi antegressum esset aliquid, quod illis certe planum fecisset, regem haec bene scire potuisse? Itaque non vereor, ne temere dictum esse videatur, si contendam, aliam trilogiam, res, quae in Aegypto actae essent, complectentem, huic nostrae antecessisse. Neque hoc ab Aeschyli consuetudine alienum fuisse, ut fabulas, eodem tendentes, binis vel ternis trilogiis persequeretur, id satis perspicuum erit, si tantummodo cogitaverimus, quod ejus exstent nomina tragoediarum, ad Labdacidarum genus pertinentium. Nam vix dubium est, quin Λάϊος, Σφίγξ, Οἰδίπους, deinde Νεμέα, Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας, Φοίνισσαι, deniquae Ἐλευσίνιοι, Ἐπίγονοι — Αργεῖοι Σάτυροι singulae sint fabulae trium trilogiarum. Quodsi igitur idem a poeta in mythis, qui de Jo ejusque progenie ferebantur, factum esse arbitramur, facile intelligimus, postremae fabulae antecedentis trilogiae hoc maxime fuisse propositum, ut doceret, quid Aegypti filii, consobrinarum amore incensi, primo per preces, deinde per vim tentassent, ut eas, connubium et sua sponte et patris jussu detrectantes, haberent in matrimonio. Hoc sumto, quum illi primas partes agerent, Danaus autem, ex certamine, ob filias ejus orto, inferior discedens et idcirco ex Aegypto fugiens, secundas sustineret, non est periculum, ne erres, si putaveris, isti tragoediae Aegyptiorum nomen fuisse inscriptum. Etenim ipsa fabulae ratio ejusmodi est, ut hanc conjecturam probabilem reddat. Quamquam Supplices in principiis ita loquuntur, ut spectatorum animos ad novi aliquid, quod immineret, advertere voluisse videantur, tamen ex iis, quae de patruelium insolentia injuriisque queruntur, perspici potest, de his ipsas multa silentio praeterire, quae, nisi ii, qui aderant, memoria iam tenuissent, oratione fuissent explicanda. Nam ut unum idque solum tangam, quaerere licet, quaenam fuerint injuriae, quae Aegypti filiis in crimine ponebantur, quum res uxoria per se non haberet, quae sceleris loco putari possent? Si nihil aliud fecissent, nisi Danai filiabus matrimonii ineundi conditionem tulissent, omni culpa

vacarent, neque intelligeretur, quae caussa virginibus fuisset, cur illos hominum odio subjicere vellent. Idem sane spectatores sensissent, et vis artium, qua eorum mentes commoverentur, sine ullo effectu fuisset. Ac revera non desunt loci, qui rei aliquid lucis adferant. Si Danaides *vv.* 415—17 a Pelasgorum rege petunt, ne se impia ratione e terra sua ejectas hostibus prodat *τὰν φυγάδα μὴ προδῷς, τὰν ἕκαθεν ἐκβολαῖς δυσθέοις ὀρμέναν*, nonne ipsae his verbis indicant, primum spectaculi locum in Aegypto esse quaerendum [11])? Non enim

---

[11]) Longe aliter video doct. Tittlerum de hac re sensisse; in qua quum argumentationem meam maxime positam esse existimem, facere non possum, quin ea, quae a viro doct. in contrariam partem sunt disputata, accuratius ac copiosius recognoscam. Tittlerus autem id egit, ut Danai filias non vi coactas, sed sua sponte ex Aegypto fugisse demonstraret, ob eamque caussam, ut, quod vellet, ex ipso libro erueret, poetae singula verba mutavit, ad mentem suam accommodavit, secus, atque alii, explicuit, multosque inter se locos comparavit, neque id sine magno ingenii acumine. Placet igitur mihi, ipsum audire, et, quae ei adsentiri nequeam, adscribere. Ab initio ita dixit: „Rationes vero, quae intercesserint inter Danaum et Aegyptum atque utrius„que inter genitos, utrum alteri alteris jure bellove potentiores imperaverint, quum „ad actionem non admodum pertinerent, accuratius omnino indicandas non esse existi„mavisse videtur poeta. Attamen colligere possumus, neutros eum alteris potentia „maiore instructos cogitasse, neque eas paris potestatis rationes turbatas fuisse nisi „viribus sexus virilis gravioribus, iisque juribus, quae viris in puellas consanguineas „tribui solebant. Eo enim ducere videntur *vv.* 382—386

εἴ τοι κρατοῦσι παῖδες Αἰγύπτου σέθεν,
νόμῳ πόλεως φάσκοντες ἐγγύτατα γένους
εἶναι, τίς ἂν τοῖσδ᾽ ἀντιωθῆναι θέλοι;
δεῖ τοί σε φεύγειν κατὰ νόμους τοὺς οἴκοθεν,
ὡς οὐκ ἔχουσι κῦρος οὐδὲν ἀμφὶ σοῦ.

„Ita vulgo nunc legitur, secundum meum tamen judicium perverse. Nam quid illis „verbis *φάσκοντες ἐγγύτατα γένους εἶναι* intelligis, nisi consanguineos se dicere „Aegyptios puellarum? At illud natura sunt, non civitatis suae lege. Propterea „post *πόλεως* distingendum censeo.“

Haec conjectura sane est ingeniosa, et mirum videtur, ut plurimos interpretum hucusque effugere potuerit; at id, quod vir doct. vult:

„atque iam imperare dicuntur Aegyptii puellis civitatis lege, quum earum sint „consanguinei“

inde non sequitur, quia verb. *κρατεῖν* hoc loco non eam habet vim, ut significet imperare, sed potius vindicare ad se, potiri, ut paulo post videbimus.

Ita pergit: „Neque qui sequuntur versus sani videntur. Quid enim verba illa „*δεῖ τοι σὲ φεύγειν κατὰ νόμους τοὺς οἴκοθεν* significant? Respondes fortasse, „eorum hanc esse vim: oportet te fugere legitime. At tum simpliciter dixisset poeta „*κατὰ νόμους*, atque certe etiam, si hanc sententiam iis inesse volebat, scribere „debuisset *ἔδει*. Propterea alias distinguendi signum post *οἴκοθεν* sublatum post „*φεύγειν* ponere placuit; sed neque hoc modo expedita omnino videbatur oratio. „Itaque aliam hanc propono conjecturam etc.

δεῖ τοί σε φεύγειν, κατὰ νόμους τοὺς οἴκοθεν
ὡς οὐκ ἔχουσι κῦρος οὐδὲν αμφὶ σοῦ.

„Quodsi Aegypti filii secundum civitatis tuae leges, quod genere proximi, in te im„perium exercent, quis illis repugnare ausit? oportet igitur te fugere (hinc), quum „civitatis legibus tui non sis juris; neque equidem Aegyptiis te reposcentibus „subtrahere possim. Hoc modo regis orationem interpretor. — *ἔχουσα* defendi

id, quod ibi factum est, usquam narrant, sed ad id, quod cognitum esse confidunt, provocant. Idem concludi postest ex iis, quae Danaus *vv.* 984—87 dixit. Qui quum filias hortaturus esset, ut caverent, ne quid Argis facerent, quo et generi et nominibus ipsarum turpitudinis macula inureretur, eas admonuit illius temporis, quo, ne dedecus subirent, miserias pertulissent, et ne maris quidem pericula formidassent πρὸς ταῦτα μὴ πάθωμεν, ὧν πολὺς πόνος, πολὺς δὲ πόντος οὕν ἐκληρώθη δορί, μηδ' αἶσχος ἡμῖν, ἡδονὴν δ' ἐχθροῖς ἐμοῖς πράξωμεν. Ob eam igitur caussam mihi cl. **Schlegelius** et **Welckerus** recte quidem judicasse, quod censebant, seriem fabularum eam fuisse, ut Aegyptios Supplices exciperent, sed in eo errasse videntur, quod utramque tra-

———

„certe potest; ceterum quum Ald. et Rob. ἔχουσιν habeat, verior videtur lectio „ἔχουσαν."

Hae mutationes, quas Tittlerus faciendas esse putavit, indicio esse possunt, quam facile fallatur, qui, quod ipse cogitatione ante praecepit, in librum quendam transferre, nec, quod auctor illius spectaverit, ex iis, quae scripta sunt, elicere velit. Nam quum sibi proposuisset ostendere, Danaum ejusque filias non habuisse, quod Aegyptum relinquerent, totum locum, ut id efficeret, prorsus corrupit. Hoc iam ex eo adparet, quod illa interpretatio, praesertim posteriorum versuum, neque iis, quae antecedant, neque iis, quae consequuntur, confirmatur. Nusquam enim legitur, quod vel remotissime fugam ab Argis, cujus rex auctor fuisse dicitur, adtingat. Danaides certe, si verba regis in eam partem accepissent, animis tam fortibus non fuissent, ut subiti metus, quem ipsis illud responsum objecisset, ne minimam quidem darent significationem. At eae, perinde quasi, quod Pelasgus iis suasisset, non intellexissent, versibus proximis optarunt, ut nunquam in virorum potestatem venirent μήτι ποτ' οὖν γενοίμαν ὑποχείριος κράτεσιν ἀρσένων. Non igitur criticorum est, conjecturam ab orationis perpetuitate alienissimam tueri velle. Deinde ipsae res grammaticae Virum doct. monere debebant, locum illum ita explicari non posse. Nam si Pelasgorum rex in sententia fuisset, Aegyptios cognationis jure in Danaides merito dominari, et ex hoc colligere voluisset, ipsis, quum sui juris non essent, si tutae ab illorum impetu esse vellent, hinc fugiendum esse, non usus esset particula τοί, quae habet dumtaxat vim adfirmandi, sed particula ἄρα (τοίγαρ), cujus proprium est, id, quod sequitur ex eo, quod antecessit, concludere. Praeterea hac emendatione opinata ornamentum quoddam morum graecorum tolleretur; Graeci enim, ac potius eorum poetae, qui ubique virtutum exemplaria ad imitandum proponere solebant, regem eum fingebant, qui, detractis vulgaribus naturae humanae imbecillitatibus, ceteros homines, ut dignitate ac potentia, sic justitia incorrupta atque animi fortitudine in omnes aequabili longe superaret. Itaque eis, quum lites inter homines peregrinos dirimerent, non ad leges, quas ipsi dedissent, sed ad eas, quibus illi a pueris imbuti fuissent, respiciendum esse censebant. Sic Theseus, ubi, quid Creon per injuriam fecisset, audivit, Oed. Col. *vv.* 902—905 ratione regali sane ac genere suo dignissima dixit: *εἰ μὲν δι' ὀργῆς ἧκον, ἧς ὅδ' ἄξιος, ἄτρωτον οὐ μεθῆκ' ἂν ἐξ ἐμῆς χερός· νῦν δ' οὕσπερ αὐτὸς νόμους εἰσῆλθ' ἔχων, τούτοισι, κοὐκ ἄλλοισιν ἁρμοσθήσεται.* Eadem sensit Aeschylus, quum haec scriberet, et hanc ob caussam non post *φεύγειν*, sed post *οἴκοθεν* distinguendi signum ponatur oportet. Equidem nullam omnino reperio difficultatem, si verb. *φεύγειν* auctore Stanl. ad res forenses referas, simulque in eo Zeugma latere existimes, ita ut hic esset locus integer: *δεῖ τοί σε φεύγειν κατὰ τοὺς νόμους τοὺς οἴκοθεν, ἀποδεικνῦσαν (ἀποδεικνυμένην), ὡς.* Haec figura, quam vocant, apud veteres tam usitata est tamque quotidiana, ut exempla non desiderentur. Itaque, si locum in sermonem latinum sic converteris: „si

goediam in eadem trilogia fuisse collocatam putabant. Sin autem statuimus, Aegyptios postremum locum antecedentis, Supplices primum sequentis trilogiae obtinuisse, singulae fabulae praeclare inter se cohaerent, nec amplius incerti sumus, quo loci illi supra memorati revocentur. Nam quum omnis et simultas et dimicatio, quae fuerat Danao ejusque filiabus cum Aegypti filiis, spectatoribus nota esset, his dubium videri non poterat, quam in partem verba Supplicum: λέγω πρὸς εἰδότα acciperent, et ipse alter locus *vv.* 961—62, alioquin obscurus ac difficillimus ad intelligendum, iis apertus erat. Quam sententiam quum sequimur, non est, quod cum Gruppio faciamus,

---

Aegypti filii ex civitatis legibus te reposcent (vindicabunt ad se), dicentes se cognationis jure imperium in te habere, quis illis repugnare ausit? Oportet vero caussam tuam secundum leges domesticas agas, demonstrans, illis nullum in te esse jus", non erit, quod repulras. Nam haec verborum interpretatio accommodatissima est menti regis, qui recusabat, quin se rebus alienis misceret, et plane comprobatur responso Danaidum; quae quum probe intellexissent, se, si ita fieret, quod vellent, non esse impetraturas, anxiae optarunt, ut nunquam in virorum potestatem venirent, addiderunt-que, se, ut id vitarent, ex Aegypto fugisse, *μήτι ποτ᾽ οὖν γενοίμαν ὑποχείριος κράτεσιν ἀρσένων· ὕπαστρον δέ τοι μῆχαρ ὁρίζομαι γάμου δύσφρονος φυγᾷ.* Ex hoc certe loco convinci non potest, Danaides sua sponte Aegyptum reliquisse. Multo minus viro doct. adsentiri possum, quum *vv.* 415—17

τὰν φυγάδα μὴ προδῷς
τὰν ἔκαθεν ἐκβολαῖς
δυσθέοις ὀρμέναν

dicit: „vocem ἐκβολὴν non passive expulsionem, verum fugam interpretor". Fugam autem, quum paullo ante dixisset: „quo eodem loco probasse mihi etiam videor, „nullum neque in Aegypto exortum fuisse bellum, neque proelio victas puellas, neque „Danaum de imperio dejectum cogitasse poetam", voluntariam in animo habuisse putandus est. Primum nullum locum similem protulit, quo ista vocis significatio confirmari posset, et id eo magis fieri oportuit, quod alias et verb. *ἐκβάλλειν,* et nomina, quae ex eo orginem ducunt, ad vim spectant; deinde quaeritur, cur poeta, si de dimicatione non cogitasset, adjunxerit *δυσθέοις*? Hoc adj. non temere ab eo voc. *ἐκβολαῖς* adtributum esse, nemo non videt. An vero Danaides fugam suam sceleratam atque impiam esse dixerunt? At id ipse vir doct. non concedet. Quid igitur illud adj. sibi vult, nisi declaret, in Aegypto factum esse aliquid, quo Danaus ejusque filiae ex hac terra fugere cogerentur, et id ipsum sceleratum atque impium fuisse? Iam ex hoc loco eoque solo cl. Tittlerus intelligere potuit, sententiam suam non habere, quo comprobari posset. Accedit, quod ipse poeta in Prometh. Vinct. 855—57 praedixit, fugam Danaidum non voluntariam futuram esse *πέμπτη δ᾽ ἀπ᾽ αὐτοῦ γέννα πεντηκοντόπαις πάλιν πρὸς Ἄργος οὐχ ἑκοῦσ᾽ ἐλεύσεται θηλυσπορος.* Haud quidem haec ita disputo, ut Danaides ab Aegypti filiis e terra ejectas esse putem, sed totam fabulam indicio esse arbitror, Danaides ab illis eo esse adductas, ut iis, nisi patruelibus servire vellent, ultima spes in fuga relinqueretur, neque futurum fuisse, ut hoc fieret, nisi Danaus vim vi propulsaturus ex certamine orto inferior discessisset. Similiter Oedipus quoque se a filiis patria expulsum esse queritur. Conf. v. c. Oed. *v.* 1351 *τὸν αὐτὸς αὑτοῦ πατέρα τόνδ᾽ ἀπήλασας.* Quae quum ita sint, non necessarium duco, ad reliquos locos, ex quibus vir. doct. argumenta hausit, considerandos diligentiam adhibere, praesertim quum existimem, iam satis constare, Danaides non propter levem quandam caussam, sed, quum quidvis perpessae essent, in Graeciam immigrasse.

qui Aegyptios, quibus inter Supplices et Danaides locum fuisse contendit, in fabula, ipsorum nomine nuncupata, chori personam gerere velit. Omisso enim, quam male eos, qui venerant, ut fugientes consobrinas vi caperent, hae partes decuissent, videre non possumus, quid impulerit poetam, ut fatale illud conjugium, quod Danai filiae — excepta Hypermnestra, quae amoris vi victa Lyncei vitae pepercit — patre auctore inierant, ut nocte sponsos necarent, Aegyptiorum nomine notandum esse putaret; nam eo redisse summam fabularum, ex quibus constitit trilogia nostra, non ignorabit, qui et ea, quae in Supplicibus, et ea, quae in reliquiis Danaidum, quae non item temporis injuria perierunt, referuntur, primoribus labris, ut ajunt, gustavit. Nisi hoc facinus Danaidum omnem rem, quae tragice erat ornanda, continuisset, mente non caperemus, cur illud potissimum in postrema tragoedia in judicium vocaretur [12]). Hactenus mihi videor de hujus trilogiae ratione potuisse dicere; in quantum verum perspexerim, alii, qui hujus rei me sunt peritiores, judicabunt.

Alius locus, quem explanandum mihi proposui, est, ut quaeram, quid Aeschylus, hanc tragoediam scribens, mente ac cogitatione sit compléxus. Ut enim in interpretando quovis poematorum genere hoc primum est, ad quod animus sit intendendus, ne, ad res leviores adhaerescentes, id quod summum est, praetermittamus, sic maxime in legendis tragoediis antiquis opera est danda, ut, quae rerum vel humanarum vel divinarum species animis poetarum in scribendo sint obversatae, quoad ejus fieri possit, adsequamur. Est autem hoc saepe factu difficillimum, praesertim si tragoediae argumentum non ad rem gestam, sed, ut in Supplicibus, ad mythum spectat. Multorum enim mytho-

---

[12]) Gruppius, tantummodo Hypermnestram in judicium adductam esse existimans, in libro saepius a nobis laudato refellere conatur sententiam Hermanni, qui duplicem quaestionem et de facinore XLIX filiarum et de facto Hypermnestrae constitutam esse censuit, et haec in Opusc. Vol. II. p. 321 disseruit: „Jam si quaerimus, alterumne illud, „an hoc judicium in Danaidibus introductum fuerit, Hypermnestrae quidem caussam „in hac fabula actam esse, vix sinit dubitare praeclarum fragmentum, quod ex „oratione Veneris depromptum est. At obstare videtur inscriptio fabulae, quae de „ceteris potius sororibus, vel etiam de universis cogitare jubet. Omninoque, si non „dubium videtur, Danaides subjunctas fuisse Supplicibus, permirum, ne dicam inep- „tum foret, praeteritis ceteris de una Hypermnestra agi. Quodsi illae praeteriri non „potuerunt, defensa est autem Hypermnestra, sic potius statuendum erit, utrumque „judicium a poeta conjunctum esse. Et conjunctae profecto sunt caussae, quod, si „puniendae erant, quae patraverant caedem, absolvenda erat, quae non patraverat; „sin haec poenam meruerat, illis concedenda erat impunitas“. Haec viri doctissimi sententia, quum et totius fabulae ratione comprobetur, et iis, quae de poenis, a Danaidibus petitis, alias narrantur, adjuvetur, ad veritatem proxime accedit, nec argumentis, quae cl. Gruppius adtulit, etsi gravibus, ita debilitari potuit, ut refutata esse videatur. Itaque, quamdiu desunt rerum antiquarum monumenta, quae rem aliter esse doceant, in illa maxime acquiescendum esse puto.

rum vis, quum neque, unde sint orti, neque quae prima notio iis subjecta fuerit, neque quid postea temporum ac locorum ratio iis vel addiderit vel ademerit, certo sciamus, adhuc tenebris quibusdam circumfusa latet. Atque unum ex his mythis esse, quem Aeschylus in tragoedia nostra sequutus est, vix dubitaveris. Praeterea homines docti, qui in enucleandis mythis versabantur, rei plus difficultatis eo adtulisse mihi videntur, quod singulorum poetarum philosophorumque, abs quibus iidem mythi tractabantur, non semper, ut par erat, ratione habita, philosophiae, quae nunc est, inventis praeceptisque nimium tribuentes generatim, quam in partem ii accipiendi essent, exposuerunt. Haud quidem infitior, similitudinem quandam eorum in libris veterum poetarum vel philosophorum, qui de his sunt scripti, perspici posse, sed tamen ignorare non possumus, eandem fabulam ab alio aliter esse animo conceptam et oratione ornatam, quod, ut uno tantum utar exemplo, ex iis, quae de Prometheo relata invenimus, satis cognoscitur [13]). Etenim hominum ipsorum natura ita fert, ut, quales unicuique res pro ingenio eruditionisque modo visae sint, tales mente informatas eloquatur, vel literis exprimat. Maxime vero Aeschylus, quem ingenii acumine atque ubertate, nec non animi quadam magnificentia, qua excitaretur, ut, repudiatis iis, quae essent in communi vitae consuetudine, altissima quaeque adpeteret, inter omnes poetas graecos excellentem fuisse constat, propriam suam mythorum explicandorum viam ingressus, quum, quidquid erat in fabulis grande, excelsum et honestum, id amplexus ad ea, quae ipse sensit de rebus divinis atque humanis, accommodaret, cum aliis poetis in eo genere multum discrepat. Itaque, nisi rationem, qua ille res animo effinxerit, persequamur, in sensum ejus mentemque, quae in poematis ab eo compositis spirat, intrare non poterimus. His igitur mecum consideratis intellexi, si cognoscere vellem, quid Aechylus agitans Supplices scripsisset, hanc quaestionem ita esse habendam, ut initio, quid alii mythorum interpretes excogitassent, non inspicerem, sed ut saepius legendo tragoediam ipse observarem, quo hoc poema maxime tenderet. Quod quum fecissem, et ita mente comprehendisse mihi viderer, quid poeta spectasset, id, quod didici, cum iis, quae Otofr. Muellerus [14]) et P. Stuhrius [15]), homines omnium, qui hisce recentioribus temporibus studia

---

[13]) Optime hoc intelligi poterit, si modo consideraverimus, quemadmodum eundem mythum Aeschylus in Prometh. Vinct. et Plato in libro, qui inscriptus est Protagoras, c. XI. pertractaverint.

[14]) In libro: Prolegomena zu einer wissenschaftlichen Mythologie. Göttingen. 1825, Pag. 182 u. s. w.

[15]) In libro: Die Religionssysteme der Hellenen in ihrer geschichtlichen Entwickelung bis auf die macedonische Zeit. Berlin 1838. Pag. 347 u. s. w.

sua ad explicandos mythos contulerunt, principes, de fabula Danaidum tradiderunt, contendi. Qua contentione facta mihi persuasi, ea, quae doctissimi viri de hac fabula praecepissent, etsi argutissima, tamen non ejusmodi esse, ut ad tragoediam nostram accomodari possent. Hanc ob caussam, non quod meis multum tribuam, sed quia cuique licet, quidquid in rebus investigandis vel solus vel una cum aliis perspexisse sibi videatur, id cum hominibus literatis communicare, mihi proposui, ut, praemissis antea iis, quae viri supra laudati, de ratione mythi, qui est de Danaidibus et Aegypti filiis, interpretandi exposuerunt, sententiam meam adderem [16]).

Otofr. Muellerus, inhaerens vocabulo δαναὸς, quod eandem, quam δίψιος habens postestatem latine sonat siccum, regionem, ad Argos sitam, antiquitus, quod aqua caruisset, vocatam esse τὸ δαναὸν Ἄργος, et inde Danao aeque ac Danaae nomina imposita esse existimat. Idem opinatur, quinquaginta Danai filias esse totidem nomina fontium, paulo post detectorum, vel Nympharum, quae, aquam haurientes, Danaides essent dictae; quatuor certe earum, Amymonen, Peirenen, Plysadeiam et Asteriam scaturigines fuisse, satis constare, de reliquis ex ipsarum nominibus idem conjici posse; nec non videri ad veritatem, Lynceo nuptam fuisse fontem Inachi in pago Lynceo, atque hoc etiam magis probabile fieri parte non integra carminis cujusdam, quod Archilochus de certamine, inter Danaum et Lynceum inito, condidisset. Omnem igitur fabulam, quae adtingeret Danaum ejusque filias, e loci Argolici natura ortam, per se ad gentem graecam pertinere, atque hanc ipsam bello Trojano propter for-

---

16) Cl. Tittlerus Aeschylum Supplices eo consilio scripsisse opinans, ut virilis omnino et muliebris sexus certamina, quae vetustis fabulis ferrentur, dramatice atque vere poetice constitueret, quod sensit de totius fabulae vi ac potestate, his verbis conceptum exprimit: „Quibus locis, quorum postremus haud fortuito viam digitavisse vide- „tur ad cognoscendos et virginum animos poetaeque consilium, id certe iam adparere „arbitror, omnino puellas illas abhorrere a matrimonio, paremque cum viris postu- „lare vitae conditionem; neque domari velle conjugio, sacram enim iis videri virgi- „nitatis et libertatis conditionem, itaque et impios adpellari Aegyptios, quum ea illis iura „demturi sint". Hac sententia, qualem vir doct. exposuit, si vera esset, facile induceremur, ut Danaides jam tum temporis eam, quam nos mulierum emancipationem vocamus, expetivisse putaremus, et incertum esset, utrum rem seriam, an ludicram poeta, quum hanc fabulam in scenam introduceret, agere voluisset. Ita probaretur, quod cl. Bernhardyus in rerum criticarum monumentis alicubi dixit: „Supplices erant nullius neque trilogiae neque bilogiae arctioris pars et omnino juvenile poetae opus." At totum tragoediae nostrae argumentum ejusmodi est, ut tale quid ne suspicari quidem possimus. Praeterea, quum omnes fere virgines pudicae viris se nubere velle aliquamdiu negent, ab Aeschyli mente alienissimum fuisset, rem quandam levem et ad vitam quotidianam spectantem, nisi majus quiddam sequutus esset, cothurno dignam judicare. Ceterum quoniam ea, quae dixit de hac re vir doct., propinqua videntur iis, quae a cl. Stuhrio sunt disputata, non necesse duco, singula accuratius considerare.

titudinem eorum, qui loca illa incoluissent, ab Homero Danaorum nomine esse adpellatam; postea autem accidisse, ut milites graeci, quum primo praedandi, deinde Aegyptiis auxilium ferendi caussa in ipsorum terram venissent, et ibi effigiem Isidis cornibus armatae conspexissent, cognita similitudine quadam, quae esset inter hanc deam et Jonem, mythis graecis vestitam, utramque fabulam inter se miscerent, eamque in unam confusam in Graeciam perferrent. Hanc mythi explicicandi rationem, praesertim si ad eam fabulam, qua Jupiter in aureum imbrem conversus in Danaes sinum descendisse dicitur, accommadatur, ingeniosissimam esse, omnes, qui in his studiis versantur, fatebuntur, nec desunt in veterum libris loci, qui eam comprobare videantur. Illa certe verba, quae in Apollodori bibliothecae L. II., c. I. leguntur: ἀνύδρου δὲ τῆς χώρας ὑπαρχούσης, ἐπειδὴ καὶ τὰς πηγὰς ἐξήρανε Ποσειδῶν μηνίων Ἰνάχῳ, διότι τὴν χώραν Ἀθηνᾶς ἐμαρτύρησεν εἶναι, τὰς θυγατέρας ὑδρευσομένας ἔπεμψε (Δαναὸς)· μία δὲ αὐτῶν Ἀμυμώνη ζητοῦσα ὕδωρ ῥίπτει βέλος ἐπὶ ἔλαφον καὶ κοιμωμένου Σατύρου τυγχάνει· κἀκεῖνος περιπανασὰς ἐπεθύμει συγγενέσθαι· Ποσειδῶνος δὲ ἐπιφανέντος, ὁ Σάτυρος μὲν ἔφυγεν, Αμυμώνη δε τούτῳ συνευνάζεται, καὶ αὐτῇ Ποσειδῶν τὰς ἐν Λέρνῃ πηγὰς ἐμήνυσεν, quam finitima huic rationi sint, nemo non videt. At Aeschylum longe aliud cogitasse, quum hanc tragoediam scriberet, id ex eo perspicuum est, quod in narranda fabula ne unum quidem verbum usquam fecit, quod ad istam mythi interpretationem spectaret. Itaque quoniam de hac re copiosius disserendi copia postea dabitur, non diutius hic commorantes ad alteram sententiam non minus ingeniosam, et quae, ut mihi quidem videtur, ad poetae mentem multo propius accedat, transeamus.

P. F. Stuhrius nuperrime de hoc mytho sic fere disputavit, ut orginem ejus graecam quidem, sed ea, quae postero tempore ornatus caussa essent addita, ex ratione, qua homines, orientis terras incolentes, de rebus divinis sensissent, sumta esse diceret. Etenim a mythographis esse excogitatum, Danaum ejusque filias ex Aegypto venisse, ut Graecia illi terrae, cujus incolae naturam et vires ei insitas deorum loco habuissent, et in regionibus, ad Nilum sitis ac soli ubertate luxuriantibus, voluptaria quaerentes id, quod maxime expetendum esse putavissent, invenissent, opposita esse videretur. Hanc igitur ab iis caussam esse confictam, cur Danaus et filiae ejus, recusantes, ne quid sibi cum Aegyptiis, animos in voluptatis libidines in dies magis defigentibus, esset commune, patria relicta, in Graeciam, castitatis ac pietatis laude praestantem, migrassent. Huc quum advenissent — sic enim vir doct. pergit explicare — Danaides, ut vitam integram Dianaeque consecratam degerent, patris jussu sponsos, excepto Lynceo, occidisse, et, quia hoc facinore efficere voluissent, ut ab omni parte officiorum, mulierum generi impositorum, se sub-

traherent, naturae legem violasse. Homines enim ita esse generatos, ut agros colendo certumque alicubi domicilium collocando reperirent, quo id, ad quod nati factique essent, dum viverent, praestarent; ob eandem caussam omnibus vitae societatem, qua humana salus contineretur, esse ineundam. Feminis quoque propositum esse, ut, quantum possent, ad hanc hominum inter ipsos conjunctionem conservandam operam suam conferrent, atque hoc bene intellexisse Graecos, quum ex antiquo more apud eos constitutum fuisset, ut matres cum filiabus ad domesticum usum aquam haurirent. Inde quoque factum esse, ut haec gens Hypermnestram, ab ipso patre accusatam, quod amore victa paternaeque voluntatis immemor sponsi vitae pepercisset, ex culpa eximeret, simulque fingeret, ceteras Danai filias propter caedem nefarie factam apud inferos has luere poenas, ut aquam aut doliis, fundo carentibus, aut cribris infunderent, quo significaretur, mulieres, quae, detrectatis conjugiis, generis humani commodis deessent, agere vitam plane inutilem ac miseram. Quod ut magis perspiceretur, neminem, nisi qui Cereri et, quae ab ea profecta esset, hominum societati vitam suam addixisset, propter quod in lucem editus esset, id adsequi posse, illam deam Argis praeter ceteras coli esse coeptam, simulque in honorem ejus Thesmophoria instituta, quibus, quum Danaidum facinori opposita fuissent, omnes admonerentur, homines esse ortos, ut intenti ad agriculturam et connubiis juncti vitae et domesticae et civilis officiis, ab alma dea ipsorum cuique injunctis, satisfacerent. Neque tamen ex mythographorum sententia horum sacrorum principia in Graecia, sed in Aegypto, quoniam haec terra, agriculturae gloria maxime florens, iam antiquissimis temporibus Cereris cultui dedita fuisset, esse quaerenda.

Haec fere, quae vir doct. de Danaidibus disseruit, ad eam, quam nos adornamus et instruimus, quaestionem pertinent, nec facere possumus, quin fateamur, sententiam ejus esse tam acutam tamque rei veritati propinquam, ut non dubitaremus, in eam discedere, si in tragoedia nostra unus alterve locus inveniretur, qui Cereris cultum et Thesmophoria vel remote tangere videretur. Sic enim sentimus, poetam, si id, quod vir doct. censuit, cogitasset, in fabula describenda non omissurum fuisse, illas certe deas, quae agriculturae praeesse putabantur, inducere, et omnino ejusmodi res, ex quibus cognosceretur, quemadmodum homines a vita fera et agresti ad cultum humanum civilemque perducerentur, poemati inserere, ut spectatores vel lectores, quo animos maxime intenderent, ab initio discerent. Hoc eo magis facere debebat, quod prima quaeque trilogiae pars est quasi fundamentum, quo ceterae tragoediae nituntur, nec satis est, materiam congeri et homines, qui rebus gerendis intersint, nominibus notari, sed necessario requiritur, ut significetur, quo id, propter

quod singulae tragoediae aguntur, spectet. Nam quod Danaides a conjugio refugisse dicuntur, plures caussae, cur hoc fieret, esse poterant, nec facile quisquam, nisi alia erant, ex quibus perspicuum fuisset, quid potissimum poeta illud memorans mente agitasset, ad hanc lapsus esset opinionem, ut agriculturam, quam homines Cereris beneficio deberent, et, quae hanc sequuta esset, totius vitae humanae temperandae certisque officiis constringendae vim ac rationem in hac didascalia, quam vocant, praedicari arbitraretur. Itaque mihi persuadere non possum, Aeschylum, quem alias virtutis vel sapentiae exempla, quae docendis fabulis intuenda proponebat popularibus suis, ita expressisse scimus, ut, quid voluisset, incertum non esset, hic consuetudinis suae fuisse adeo immemorem, ut id, ad quod omnia referrentur, vix adtingeret, et eam ob caussam, etsi verecunde ac dubitanter, tamen audeo, quid mihi poeta praecipere voluisse videatur, breviter exponere.

Ac primum quidem non in ea sum sententia, ut Aeschylum, quum Supplices scriberet, ejusmodi aliquid, quod viri doctissimi finxerunt, in animo habuisse putem, sed opinor, eum vetustissimis mythis, qui ferrentur, et ad res divinas atque humanas respicerent, incitatum esse, ut de graecae religionis primordiis et de ea, qua postea conformata esset, ratione sejuncta a religionibus populorum, orientis terras incolentium, iisque contraria quaereret, et, quae ipse cognovisset, in duabus didascaliis [17]), quarum una ea, quae de Prometheo, altera, quae de Danaidibus tradita essent, complectebatur, poetarum modo doceret. Vidit enim homo antiquitatis peritissimus simulque cognitionis ac scientiae studiis deditus, consuetudinem, et stellas et ignem (Jo et Prometheus) venerandi, quae ex religionis genere antiquissimo, quo universa rerum natura dei loco erat habita, conjuncte emanaverat, una cum primis colonis ex Asia in Graeciam pervenisse, et, quamdiu incolae, adhuc puerorum similes, in contemplandis rebus, sub sensus cadentibus, versati essent, ibi receptam se obtinuisse. Postea autem, quum Graecorum mens et naturae vi et multarum rerum prosperarum concursu excitata, ea, quibus moveretur, considerare, et, qualia essent, suo more informare coepisset, factum esse intellexit, ut, quaecumque ei, quam ipsa iniisset, rerum divinarum atque humanarum percipiendarum rationi aut contraria aut non satis consentanea visa essent, vel ejicerentur vel ei accommodarentur; alterutrum enim necessarium fuisse, quum graecae

[17]) Spero, fore, ut mihi haec venia detur, ut initio quaestionis utramque didascaliam permisceam, quum ita argumentatio sublevetur, et quum, ut paullo post magis adparebit, utraque didascalia tam arcte inter se cohaereat, ut altera alterius luce collustretur.

eruditionis indoles ea fuisset, ut in omnibus regulam ac constantiam servaret, et idcirco, quod ab ea discreparet, vel sibi subjiceret, vel a se prorsus secerneret. Talem igitur viro ingeniosissimo, antiquorum mythorum vestigia ea, qua philosophi solent, subtilitate persequenti, rem videri oportuit, quum memoria proditum esse accepisset, Prometheum, qui contra disciplinam a Jove recens institutam repugnasset, in vincula esse conjectum, et Jonem, quae Argis antistita fani Junoni deae consecrati (*vv.* 288—89 κληδοῦχον Ἥρας φασὶ δωμάτων ποτὲ Ἰὼ γενέσθαι τῇδ' ἐν Ἀργείᾳ χθονί) fuisset, Graecia expulsam in illam terram migrasse, qua stellis praecipuus quidam honor divinus esset tributus. Praeterea expertus scire poterat, duas res, etsi diversas, non diu in vicinitate esse posse, quin ea, quae infirmior sit, contacta vi praevalentis ita, ut non sentiat, semina huic cognata concipiat; itaque ei occurrere debebat, maiorem rerum, praesertim divinarum intelligentiam, quae suae nationis esset propria, vel illo tempore, quo utriusque religionis principia adhuc permixta et in unum confusa fuissent, iam insignem, tantum valuisse, ut ea, quae postea segregata in remotas terras recessissent, tali contagione adfecta haberent, quae aliquando maturitatem suam nacta ad maiorem veri perspicientiam venirent, et tum cognationis suae non oblita, unde profecta essent, eo redirent. Haec est simplex atque adtenuata fabulae de Jo ejusque progenie interpretatio, quae et rei et libri nostri argumento accommodatissima esse mihi videtur, nec dubito, quin poeta, quae de migratione Jonis et de adventu Danaidum in Graeciam narrabantur, in eam partem acceperit. Hoc certe testificantur multi loci, ex quibus eos, qui sententiam meam maxime confirmare videantur, in medium proferam.

vv. 575 — 77 dicit Chorus:

> *Λαβοῦσα (Ἰὼ) δ' ἕρμα Δῖον ἀψευδεῖ λόγῳ*
> *Γείνατο παῖδ' ἀμεμφῆ·*
> *Δι' αἰῶνος μακροῦ πάνολβον.*

Haec verba: Ἰὼ δ' ἕρμα Δῖον λαβοῦσα, si sermonis mythici integumenta, quibus involuta sunt, sustuleris, quid aliud, nisi ea, quae explicui, significare possunt? Non minori documento sunt, quae *vv.* 15—19 leguntur:

> *Κέλσαι δ' Ἄργους γαῖαν, ὅθεν δὴ*
> *Γένος ἡμέτερον, τῆς οἰστροδόνου*
> *Βοὸς ἐξ ἐπαφῆς, κἀξ ἐπιπνοίας*
> *Διὸς εὐχόμενον τετέλεσαι.*

Hic quoque locus, quo Danaides se eo magis exceptum iri confidunt, quod ab Argis, ubi Jo ex Jove concepisset, oriundae sint, eam, quam proposui, mythi interpretationem adjuvat. Eodem redeunt, quae Chorus Pelasgorum regi ex eo quaerenti, cur patriam reliquerit, *vv.* 325—27 respondit:

'Επεὶ τίς ηὔχει τήνδ' ἀνέλπιςον φυγὴν,
Κέλσειν ἐς Ἄργος κῆδος ἐγγενὲς τὸ πρὶν,
Ἔχθει μεταπτοιοῦσαν εὐναίων γάμων;

vel *v.* 330 memoravit:

Ὡς μὴ γένωμαι δμωΐς Αἰγύπτου γένει [18]).

Idcirco poeta etiam Danaum ejusque filias ita loquentes fecit, ut spectatorum animi terrae, unde venissent, ubique admonerentur. Ut e multis pauca adtingam, Danaides *v.* 67 queruntur, se genas calore Nili coloratas lacerare δάπτω τὰν ἁπαλὰν νειλοθερῆ παρείαν, et pater filias hortaturus, ut Graecorum Deos venerarentur, quum Apollinem Jovis avem adpellat, Osiridem, Aegyptiorum deum, vulturis capite instructum, in mente habuit καὶ Ζηνὸς ὄρνιν τόνδε νῦν κικλήσκετε. Quid, quod ipsum illud tempus, quo Titanes adhuc regnabant, in memoriam

---

[18]) Cl. Tittlerus Danaides haec dixisse opinatur, quod matrimonium ipsum servitium esse putassent, quare et ex hoc et ex sequentibus versibus conjicit, eas non solum recusasse, ne Aegypti filiis, sed ne ullis omnino viris nuberent. Hanc ob caussam addit: „Quibus ex interrogationibus et responsis, quae ab interpretibus partim male „intellecta, vel tanquam faciliora plane omissa sunt, illud iam sequitur, conjugium „omne, non solum Aegyptiorum, istud grave iis videri jugum, quo in servarum nu„merum se deprimi, quo sacram et castam virginitatis et libertatis conditionem per„ditum ire credant". Quamquam concedendum est, hac fuisse Danaides mente, tamen, si quid video, orationis perpetuitas obstat, ne hunc locum ita explicemus. Quum enim Danaides dixissent, se supplicare diis, certaminum praesidibus, ne Aegypti generi servire cogerentur, interrogavit eas rex, utrum propter inimicitiam, an, quia nefas ducerent, conjugium Aegyptiorum detrectarent

πότερα κατ' ἔχθραν, ἢ τὸ μὴ θέμις λέγεις;

Haec interrogatio, ut senatores romani in dicendis sententiis facere solebant, dividenda erat, quod vir doctus non satis adsequutus esse videtur, quum redderet: „num irata ita loqueris, an vere injusta narras"? Quid verba ista loco nostro sibi velint, non intelligo. Ad prius igitur Danaides respondent:

Τίς δ' ἂν φίλους ὠνοῖτο τοὺς κεκτημένους;

Quis dominos sibi amicos paret, i. e. quis dominos sibi amicos fore putet? Quum igitur per circuitionem dicerent, quemlibet dominum per se esse molestum, ignorari nequit, eas responsuras fuisse, quod in Aegypti filios odio ferrentur (κατ' ἔχθραν), ideo se connubium eorum detrectare. Mirum est, plurimos interpretum, excepto Tittlero, quae horum posteriorum verborum vis esset, non perspexisse, et omnes fere cum Schuetzio, ita convertisse: „Quis vero, quaeso, propinquos dote sua dominos emat"? Art. τοὺς cum verbo κεκτημένους conjunctus in aliam sententiam eos traducere debebat. Danaides autem, illud dicentes: ὡς μὴ γένωμαι δμωΐς Αἰγύπτου γένει, nihil aliud egisse, nisi ut nunquam essent in potestate Aegyptiorum, abs quorum moribus prorsus abhorrerent, ex iis quoque perspicuum est, quae sequuntur. Nam quum iterum rex ex iis quaesivisset, quid ipsis gratificari posset, responderunt: ne nos Aegypti filiis poscentibus prodas. Quae quum cum iis, quae supra dixerunt: κέλσειν ἐς Ἄργος κῆδος ἐγγενὲς τὸ πρὶν, contulerimus, facile videbimus, hoc monere voluisse Danaides, se ex Aegypto fugisse, ne ipsis res esset cum patruelibus, h. e. cum incolis hujus terrae, quibuscum nulla ipsis, nisi sanguinis conjunctio intercederet, et Graeciam petiisse, ubi eam, quam desiderassent, animorum cognationem se inventuras esse sperarent.

revocatur, quum Chorus praeconis Aegyptii minis perterritus *v.* 867 exclamet: Μᾶ Γᾶ μα γᾶ et *v.* 869 Jovis opem invocans ita dicat: Ὦ βᾶ Γᾶς παῖ Ζεῦ?

Sic quis arbitretur, concedi quidem posse, Aeschylum de mythis, qui de Jo et Danaidibus fuissent, sic sensisse, idque quodammodo ex locis illis concludi posse, sed inde nondum esse effectum, eum, quemadmodum dixissem, sic de religionibus existimasse, vel hunc librum composuisse, ut, quid discriminis esset inter religionem graecam et religiones aliorum populorum, ostenderet; ei alia argumenta, quae rei dubiae fidem faciant, ex ipsa tragoedia nostra sumta proponere non est difficile. Ex iis unum, quod plurimum habet ponderis, et quod maxime idoneum duco ad id, quod in quaestione versatur, comprobandum, adferam. Cuique enim, qui Supplices leget, mirum videatur, quid caussae fuerit, cur Aeschylus migrationem Jonis, quam in Prometheo Vincto tam accurate ac copiose descripserat, in hac fabula, nulla necessitate urgente, *vv.* 530—65 iterum eodem fere modo, verbis tantum mutatis, narraret. Cogitare non possumus, eum, qui ingenii ubertate omnes superaverit, eandem rem repetivisse, ut haberet, quo aliquid spatii explere posset; itaque aliud quiddam quaerendum esse videtur, quo impulsus hoc fecisse sit putandus. Id autem quod aut quale fuerit, non latet in occulto. Vix enim dubitari potest, quin poeta spectatores monere voluerit, utramque fabulam cognationis vinculo arctissimo inter se contineri, nec plane ab ipsis intelligi posse, quo Supplices tenderent, nisi, quae in Prometheo praecepta essent, memoria complecterentur. Quod si tenemus, facile nobis persuadebimus, Aeschylum, quum has tragoedias scriberet, id maxime secum constituisse, ut demonstraret, quantum ea religionis ratio, quam Graeci sequerentur, illi, quae in civitatibus Asiaticis vel Africanis dominaretur, et quae naturae ejusque viribus curam ac caerimoniam adferret, quovis modo praestaret, Ut igitur in Prometheo planum fecerat, novum deorum genus duce Jove Fulguratore longe antecellere prisco opibus, intelligentia, concordia, sic in Supplicibus docet, in disciplina graeca multo maiorem inesse vim ad vitam hominum formandam, temperandam et optime instituendam. Atque ut hoc probaret, non fundamenta, quibus altera utra religio constituta esset, inter se comparavit, sed, id quod multo aptius erat ad fidem faciendam et poetam multo magis decebat, incommoda, quae ex illa religione, quae in adoranda natura esset, in hominum vitam redundarent, in popularium suorum conspectu posuit. Quod omnino de hac re cogitavit, id his verbis comprehendi potest: Prisca religio et ea, quam plurimi populorum, in orientis partibus habitantium, profitentur, graeca deterior, videtur, quoniam in duplicem errorem rapit

unum, quod homines, qui illam sectantur, impellit, ut naturae indulgentes corpora turpissimis voluptatibus addicant

alterum, quod viam munit ad desidiosam quandam rerum divinarum contemplationem vitamque inertem atque ab officiis cuique a natura impositis remotam.

Vitae illius, rebus turpibus ac venereis deditae, effigiem expressam videmus in personis Aegypti filiorum, qui libidinosi et prorupta audacia non quidquam sancti habent, et nec suae nec alienae pudicitiae parcunt, alterius, quam, si haec venia mihi detur, vitam sacerdotalem [19]) vocabimus, in personis Danai filiarum, quae, ut magis animi sensus voluptatibus ex ista rerum divinarum ac coelestium contemplatione petitis permulcere possint, a conjugio refugientes nihil eorum, propter quae natae sunt, suscipere volunt [20]).

Ne vero quis putet, temere haec a me esse dicta, nec reperiri in tragoedia, quo talis sententia confirmetur, eos locos, ex quibus perspici posse mihi videatur, poetam ita de fabula existimasse, proponam. Primum, quo facilius spectatores intelligerent, utramque vitam ex eodem fonte emanasse, et Aegyptum et Danaum a Belo, quem eundem Asiae incolae nomine Baal adpellatum invocabant, et quem principem deorum, naturae virium rerumque coelestium consecratarum personas sustinentium, credebant, generatos esse dixit. Conf. igitur *vv.* 314, 316, 317 et 318

Βῆλον δίπαιδα, πατέρα τοῦδ' ἐμοῦ πατρός.
Δαναός, ἀδελφὸς δ' ἐστὶ πεντηκοστόπαις·
Καὶ τοῦδ' ἄνοιγε τοὔνομ' ἀφθόνῳ λόγῳ·
Αἴγυπτος.

---

[19]) Hanc vitam sacerdotalem, quae, ubi exstiterat, effecit, ut singuli civium ordines distinerentur, nonnullorum populorum, ante Chr. n. viventium religionisque divinitus patefactae expertium, propriam fuisse, hoc vel sine mea admonitione per se patet; itaque non est, quod dicam, quidquid postea a me disputabitur, id dumtaxat ad illam vitam eamque solam accommodari posse.

[20]) Mireris forsitan, cur eaedem Danaides, quae paullo ante propter quandam animi cognationem, qua Graecos adtigerint, in illorum terram advenisse perhibentur, nunc subito, caussa non addita, una cum Aegyptiis Graecorum vitae opponantur. At haec est Aeschyli consuetudo, ut, quae in explicandis sententiis sint soluta, ea spectatorum mentibus det effingenda. Quamquam enim Danaides remotissimae erant a patruelium libidine ac lascivia, tamen, quia homines plerumque modum excedunt in contrarias partes, in aliud vitium, etsi minus vituperandum, delapsae erant, ut res coelestes ac divinas easque solas complexae, quidquid ad naturae necessitates et ad vitae societatem ac communitatem pertinebat, id a se alienum putarent. Itaque quatenus, repudiatis corporis voluptatibus, id quod ad mentem spectabat, maxime expetendum duxerunt, cognatae visae sunt. Graecis, et ab iis, quum Supplices venissent, sunt exceptae, sed quatenus recusarunt, ne vitae communis officiis satisfacerent, quod postea compertum est, a disciplina eorum et moribus recesserunt, et ab iis sunt rejectae. Quod quum spectatores ex iis, quae agerentur, facile conjectura adsequi possent, poeta hoc de industria silentio praeteriit.

Non videmus caussam, qua Aeschylus permoveri potuerit, ut genus Danaidum atque Aegyptiorum potissimum ad Belum revocaret, et simul mythos religionum Asiaticarum cum mythis Aegyptiorum confunderet, nisi eum omnino ostendere voluisse putemus, omnem vitae et profanae et deorum cultui sacratae perversitatem, qua plurimi populorum, in orientis terris habitantium, laborarent, ex eo esse natam, quod hi populi, commutata mente divina cum iis, quae mente carerent, in adoranda natura versarentur. Quod ut magis veniret sub adspectum, Aegyptum, ubi illa perversitas apertissime exstitisset, perhibuit, quam terram, solis ardoribus maxime expositam tum ad libidines tum ad insaniam quandam, ex prava rerum sacrarum aestimatione ortam, homines pellicere posse, spectatoribus probabile erat. Jam haec ejusmodi esse arbitror, ut, quod dixi, non futile quidquam nec commenticium esse videatur. Accedit, quod poeta utramque vitae rationem passim, etsi coloribus subtiliter inductis, tamen ita adumbravit, ut, quid voluerit, ignorari nequeat. Hoc igitur mihi nunc maxime est exponendum.

Quod adtinet ad priorem vitae rationem, nusquam quidem legimus, hanc Aegypti filiis ab Aeschylo nominatim vitio esse datam, sed tamen ex iis, quae illis sunt adtributa, facere non possumus, quin conjiciamus, eos spectatoribus tales, quales diximus, esse visos, quod etiam magis erit verisimile, quum tenebimus, in fabula, quae huic proxime antecesserat, omnia eorum facinora esse patefacta [21]). Ex his igitur adtributis, ne longus sim, ea potissimum, quae illorum vivendi consuetudinem maxime aperiant, eligam. *v.* 30 vocavit Chorus Aegypti filios

Ἐσμὸν ὑβριςὴν Αἰγυπτογενῆ

v. 523 supplicans Jovi, ut vim illorum prohiberet, his verbis est usus:

Ἄλευσον ἀνδρῶν ὕβριν εὖ ςυγήσας

vv. 722 — 23 mores eorum sic descripsit:

Ἐξῶλές ἐςι μάργον Αἰγύπτου γένος,
Μάχης τ' ἄπληςον.

vv. 731 — 33 hoc modo declaravit, quam improbis, scelestis ac protervis essent animis:

Δουλόφρονες δὲ καὶ δολιομήτιδες
Δυσάγνοις φρεσὶν, κόρακες ὥςε, βω —
μῶν ἀλέγοντες οὐδέν.

---

[21]) Haec quaestio ipsa facit, ut, quae de trilogiae ratione disputavi, vera esse existimem. Non dubium mihi videtur, quin alia huic trilogia simili argumento antegressa sit, cujus primum locum Jo ipsa, postremum Aegyptii et medium fabula quaedam, quae complectebatur, quod inter utrosque interjectum erat, obtinuerunt.

vv. 738—40 idem iis exprobravit:

Περίφρονες δ' ἄγαν ἀνιέρῳ μένει
Μεμαργωμένοι κυνοθρασεῖς, θεῶν
Οὐδὲν ἐπαΐοντες.

Quis haec legens alia desiderat argumenta? Quis non videt, poetam ita verbis depinxisse Aegypti filios, ut eorum animi lascivi et dissoluti, a deorum cultu alienati et voluptatum desiderio adeo corrupti, ut ne sanguinis quidem conjunctione, quam omnes populi verebantur, continerentur, quin corporis gaudiis servirent, a quovis perspici possent? Ut vero haec libido tam taetra et turpis, qua eorum mores inflammati erant, magis invidiam subiret, eis Danaides opponuntur tam castae ac deorum metuentes, ut, modo ne patruelibus, quibus nefas putant (*v.* 38 ὧν θέμις εἴργει), nubere cogantur, omnia perpeti velint. Vehementissime porro incesta eorum cupiditas vituperatur Danai verbis, *vv.* 223—25:

Ὄρνιθος ὄρνις πῶς ἂν ἁγνεύοι φαγών;
Πῶς δ' ἂν γαμῶν ἄκουσαν ἄκοντος πάρα,
Ἁγνὸς γένοιτ' ἄν.

Haec caussa fuit, cur Danaides, Aegypto relicta, patre duce Graeciam fuga petentes in fidem ac clientelam deorum illius terrae, quos majestate et sanctitate diis Aegyptiis praestare sciebant, se conferrent, sperantes, fore, ut id, quod vellent, propter generis propinquitatem ab iis impetrarent. Itaque navibus egressae *vv.* 19—22 sic exclamarunt:

Τίνα γοῦν χώραν εὔφρονα μᾶλλον
Τῆσδ' ἀφικοίμεθα
Σὺν τοῖσδ' ἱκετῶν ἐγχειριδίοις
Ἐριοστέπτοισι κλάδοισιν.

Id respiciens Aeschylus fabulam nostram Ἱκέτιδες (Supplices) inscripsisse videtur.

Ex his igitur, quos protuli, locis intelligi posse opinor, poetam de vita Aegyptiorum, quemadmodum exposui, sic fere cogitasse. Restat, ut caussas explicem, cur in personis Danai et filiarum ejus imaginem vitae sacerdotalis expressam reddidisse mihi videatur. Vitam sacerdotalem ab antiquissimo religionis genere profectam esse, adparet. Primi enim homines, quorum animi nondum vitiis inquinati, nec opinionum fallacium erroribus adfecti erant, multo magis, quam posteri, similitudinem quandam ac speciem dei gerebant, et ob mentis ingeniique integritatem arctius cum deo conjuncti ejus praesentiam ubique sentiebant, ejus vocem et in se et extra se concipiebant, et ad voluntatem ejus mores conformabant. Haec prima religionis ratio fuisse est putanda. Sed paullo post ii, qui ab his generati erant, inertia animique mollitia impli-

citi et pristini status obliti cum deo naturam permutantes hanc ejus loco habebant, et ideo ad ea, quae natura suppeditavit, amplectenda atque perfruenda magis magisque trahebantur. Sic altera religionis ratio depravata est orta, quae, quum id, quod deterius est, facile superet atque emergat, celeriter per magnam Asiae et Africae partem pervasit. Singuli tamen homines, quorum ex pectoribus contemplatio illa mentis divinae et verior rerum sacrarum cognitio non exciderat, et qui hanc incorruptam servandam et propagandam esse putarant, societate inter ipsos inita, a vulgo se segregarunt, nec quidquam eorum, quae aliis obeunda erant, ad se pertinere voluerunt. Hoc modo exstitit vita sacerdotalis. At exemplo, quod ediderant, ceteros quoque impulerunt, ut pro suis quisque facultatibus simile quid facerent; itaque in consuetudinem venerant ordines quidam adeo disjuncti ac separati, ut nullarum rerum inter ipsos esset communitas. Illa igitur vita sacerdotalis, cum in alias terras, tum in Aegyptum inducta, temporum injuriis non intacta fuit, sed et ipsa paullatim inclinavit ad naturae cultum magis perpolitum, ut ii, qui huic erant dediti, in cognoscendis, definiendis artificioseque digerendis naturae viribus et corporibus coelestibus curam ponerent, et ex his studiis reconditis, quid aut faciendum aut omittendum, aut expetendum aut fugiendum esset, constituerent. Quae vita quum, ut modo dixi, in Aegypto maxime vigeret, iam ob eam caussam non dubium esse videtur, quin Aeschylus, famam veterem, qua Danaus ejusque filiae ex hac terra venisse dicerentur, sequutus his nominibus illam notaverit. Itaque, si conjecturae locus datur, existimaverim, Aeschylum nomen Δαναὸς non a voc. δανὸς, quod in sermone latino est siccum, sed a verbo δάειν, δαῆναι et vocab. ναὸς derivasse. Accentus quidem obstat huic conjecturae, sed propter vetustatem, quia nominis origo exciderat, facile fieri potuit, ut illud non loco suo acueretur. Alia certe ejusmodi exempla non desunt, nec abhorruit a similibus compositionibus Aeschylus, ut ex *v.* 488 perspicuum est, ubi βωμοὺς προνάους usurpat. Confirmatur etiam haec conjectura *v.* 315; nam Pelasgorum rex, quamquam haud ignorans, qui Beli filii fuissent, tamen ex Danaidibus patris nomen sciscitans ita eas adloquutus est:

Τὸ πάνσοφον νῦν ὄνομα τοῦτό μοι φράσον.

Quodsi igitur Danaus is est, qui templi, h. e. rerum sacrarum sit peritus, earumque scientiam alios edoceat, utrumque, et Δαναὸς et τὸ πάνσοφον ὄνομα, mutuam sibi adfert lucem, nec est, quod cum plurimis interpretum hunc locum corruptum esse putemus. Δαναὸς enim idem valet, quod τὸ πάνσοφον ὄνομα, et poeta hac circuitione usus est, ut nomen simplex pluribus verbis significaret. Praeterea multi alii in tragoedia reperiuntur loci, quibus commoveamur, ut hanc sententiam defendendam suscipiamus. Primum Danaides injussu patris

nihil faciebant; hic iis praeibat, et quid sentirent, et quid agerent, nec ipsae dubitabant, hoc palàm profiteri. Itaque caussam, cur in Graeciam advenissent, *vv.* 11 — 12 his verbis pronuntiarunt

Δαναὸς δὲ πατὴρ καὶ βούλαρχος
Καὶ ςασίαρχος, τάδε πεσσονομῶν

et quum in concione ab Argivis decretum esset, ut civitate reciperentur, optione a Pelasgorum rege data, utrum apud se, an seorsum habitare mallent, ab eo *vv.* 946 — 50 petiverunt:

Πέμψον δὲ πρόφρων ἡμέτερον
Πατέρ' εὐθαρσῆ Δαναὸν, πρόνοον
Καὶ βούλαρχον· τοῦ γὰρ προτέρα
Μῆτις, ὅπου χρὴ δώματα ναίειν
Καὶ τόπος εὔφρων.

Sic ii loquuntur, qui alienae auctoritati omnia tribuentes sui juris esse destiterunt. Deinde pater, de dignitate sua sollicitus, *v.* 974 hortatus est filias, ut omnia diligenter vitarent, ex quibus existimationis detrimentum caperent, ne ipsi essent dedecori:

Ὑμᾶς δ' ἐπαινῶ μὴ καταισχύνειν ἐμέ.

Non enim Danaus tam vehementer a filiabus contendisset, ut omnem, quam possent, cautionem adhiberent, ne quid turpiter facerent, nisi vidisset, quod genus vivendi et sibi et filiabus constituisset, id esse tam sanctum tamque religiosum, ut vel minima macula, qua vitam adspersissent, majori ipsis, quam aliis, vitio daretur. Sacerdotem porro decebant, quae Danaus *v.* 187 dixit

Κρεῖσσον δὲ πύργου βωμὸς, ἄῤῥηκτον σάκος

nec dissimile est voci a fani antistita editae, quum Chorus *v.* 340 locum, quo deorum statuae collocatae erant, gubernaculum civitatis vocavit

Αἰδοῦ σὺ πρύμναν πόλεος ὧδ' ἐςεμμένην·

vel quum Argivos optimis ominibus prosequuturus *vv.* 685 — 87 optavit

Θεοὺς δ', οἳ γᾶν ἔχουσιν, ἀεὶ
Τίοιεν ἐγχωρίους πατρῴαις
Δαφνοφόροισιν βουθύτοισι τιμαῖς.

At dixeris forsitan, hanc quidem omnino esse orationem hominum, qui animis piis ac deorum metuentes sint, sed ista, quae voluerimus, inde colligi non posse, nisi alia reperiantur, quibus ea, quae dicta sunt, magis firmentur. Itaque circumspiciendum est, ut argumenta, quae propius ad rem pertineant, investigemus, et sane non multi laboris est, ea invenire, quum ex totius fabulae indole adpareat, Danaides hac mente fuisse, ut ab omnibus mulierum

muneribus sese removerent. Quum in hominum societate cujusque sit, certum quoddam negotium suscipere, et pro viribus ac facultatibus omnium salutem adjuvare, tum feminarum has partes esse videmus, ut viris nuptae subolem producant, atque res domesticas administrent. Quicunque autem societatis commodis deest, nec rem suam cum illa communicatam putat, hic ei quasi decisionem renuntiavit, et vitam ab aliis sejunctam degit. Quod si ad Danaides, quae ab omni matrimonio refugisse dicuntur, accommodamus, nonne putandum est, earum Aeschylum nominibus usum esse, ut vitam sacerdotalem, quae se officiis communibus ac civilibus adstringi non pateretur, designaret[22])? Alia quidem res esset, si tantummodo patruelibus, quia propter cognationem nefas putassent, nubere noluissent; tum facile demonstrari posset, id, quod concludere vellem, non effici ex propositis, nec esse consequens; at, ut permulti loci indicio sunt, omnino voti sponsione obligabantur, ut nunquam in matrimonium irent. Itaque patri monenti, ut Argis caverent, nê amoris illecebris irretitae committerent, quo nominibus turpitudinis notam inurerent, *vv.* 994—95 responderunt, se, nisi diis aliter placeret, consilium vitae, quod antea cepissent, non esse mutaturas.

Εἰ γάρ τι μὴ θεοῖς βεβούλευται νέον,
Ἴχνος τὸ πρόςθεν οὐ διαςρέψω φρενός.

Ob eam quoque causam *vv.* 133—35 a diis precatae sunt, ut se semper conjugii expertes esse sinerent

Σπέρμα σεμνᾶς μέγα ματρὸς
Εὐνὰς ἀνδρῶν, ἔ, ἔ
Ἄγαμον ἀδάματον ἐκφυγεῖν

et *vv.* 145—51 confessae sunt, se, si hujus voti non compotes fierent, mori, quam vivere, malle

Εἰ δὲ μὴ, μελανθὲς
Ἡλιόκτυπον γένος
Τὸν γάϊον
Τὸν πολυξενώτατον
Ζῆνα τῶν κεκμηκότων
Ἱξόμεσθα σὺν κλάδοις
Ἀρτάναις θανοῦσαι.

---

[22]) Ne mirum videatur, si Aeschylus ad designandam vitam sacerdotalem feminarum nominibus usus esse perhibetur, hoc monendum est: Hominum antiquissimorum mos erat, ut res sensibus non subjectas ita exprimerent, ut sensibus percipi possent. Itaque conjunctionem singulorum ordinum vel tribuum inter ipsas, quae per connubia fiebat, cum matrimonio, et eum ordinem vel tribum, quae prorsus separata ab aliis esse volebat, cum virgine, matrimonium detrectante, comparabant. Quam ob rem non esse video, cur in Danaidum nominibus offendamur, et simul persuasum

Eodem redeunt, quae *vv.* 387—88 rogarunt

Μήτι ποτ οὖν γενοίμαν ὑποχείριος
Κράτεσιν ἀρσένων,

et *vv.* 775—82 animos a conjugio alienissimos haud dissimulantes optarunt, ut rupes esset, de qua se praecipitarent; nam, dummodo torum ipsis invisum effugerent, non se recusaturas esse, quo minus canibus et avibus pastus fierent

Ἢ λισσὰς αἰγίλιψ ἀπρός —
δεκτος οἰόφρων ἐρημὰς ·
Γυπίας πέτρα, βαθὺ
Πτῶμα μαρτυροῦσά μοι,
Πρὶν δαΐκτορος βίᾳ
Καρδίας γάμου κυρῆσαι
Κυσὶν δ' ἔπειθ' ἕλωρα κἀπιχωρίοις
Ὄρνισι δεῖπνον οὐκ ἀναίνομαι πέλειν.

Ex his, opinor, locis multisque aliis, quos, ne longus essem, praetermisi, satis cognoscitur, Danaides non propter pudicitiam quandam, virginum propriam, ut cl. Stuhrius in libro, supra a me laudato, censet, ita se gessisse, ut nuptias aversari viderentur, sed eas vel sua sponte vel patris praeceptis imbutas vitam sic instituisse, ut a sexus sui negotiis remotae, et nulla re profana interpellatae sacrorum curationem sustinere possent. Haec quoque caussa est, cur praeter Jovem eas potissimum deas, quae et ipsae, quemadmodum in fabulis est, vota fecerant, ut vitam castam integramque servarent, invocaverint. Exempli gratia hos tantum proferam locos

vv. 136—37. *Θέλουσα δ' αὖ θέλουσαν ἁγνά μ'*
Ἐπιδέτω Διὸς κόρα.
vv. 140—41. *Ἀδμήτας ἀδμήτα*
Ῥύσιος γενέσθω.
vv. 1011—12. *Ἐπίδοι δ' Ἄρτεμις ἁγνὰ*
Στόλον οἰκτιζομένα..

Comparatis igitur iis, quae hucusque a me sunt disputata, hoc colligi posse arbitror, Aeschylum et Supplices et eas, quae cum illis conjunctae erant, fabulas scripsisse, ut doceret, quantum Graeci in aestimandis temperandisque rebus divinis atque humanis praestiterint ceteris nationibus. Itaque utramque vitae rationem, et eam, quae turpissimis voluptatibus erat dedita, et eam,

---

habeo, quod doctissimus Stuhrius ad sententiam suam confirmandam testatus est, in Thesmophoriis matronas ex variis tribubus adhibitas esse, ut Athenienses memores essent, civium societates, nisi promiscuis connubiis stabilirentur, valere non posse, id potius documentum eorum esse, quae ego defendo.

quae sacrorum administratione corporumque coelestium contemplatione implicita a muneribus publicis domesticisque se abduxerat, quam utramque ex illo religionis depravatae genere, quo homines, veri dei obliti, naturam ejusque vires consecraverant, natam esse supra monuimus, sive ita animo effinxit, sive, id, quod probabilius videtur, antiquum mythum sequutus est, nominibus Aegyptiorum et Danaidum involutam ex Aegypto in Graciam venisse, sed ibi consistere non potuisse ostendit. Adventum Danaidum et, quae cum eo cohaerebant, libro, quem Supplices inscripsit, satis exposuit. Reliqua, quum maior didascaliae pars perierit, cogitatione sunt explenda. Quod etsi per se certo fieri nequit, tamen ex iis, quae sunt inchoata, et quae sunt alias tradita, cognoscere possumus, has fere fuisse Aeschyli sententias. Prioris vitae ratio minime conveniebat Graecorum moribus, quippe qui probe intelligerent, homines non ita esse generatos, ut corporis voluptatibus servirent, sed ut libidines animique impetus non rectos coercerent, omnemque vitam ita moderarentur, ut menti ac rationi omnium rerum potestas dominatusque esset. Itaque, ut est in fabula, omnes Aegypti filii, excepto Lynceo, quemadmodum convenerat inter Danaum et filias, ab his nocturno tempore sicis perfossi ceciderunt. Hic totus rei actus, quo Danaus cum fratris filiis in gratiam se redire velle simulaverat, et eos postea, sponsalibus rite factis, ex insidiis per filias necari jusserat, quum in eo omnis vis tragica esset posita, medium trilogiae locum obtinebat, sed nomen ejus ad tempora nostra non pervenit. Item altera vitae ratio, etsi priori multo praestantior et hominum conditione multo dignior, Graecis probari non poterat; nam haec gens ita sentiebat, religionem principium quidem esse totius vitae humanae, ad eamque omnes res esse revocandas, verumtamen non esse concedendum, ut ea vim exerceret reliquis vitae partibus et hominum societati perniciosam; hoc autem fieri, quum singuli, immemores praecepti, homines hominum causa esse ortos, ut otiosi sensus titillatione quadam ex religione sumta permulcerent, publicis commodis deessent, et eos etiam poena esse adficiendos, quum, dummodo hoc sibi liceret, vel scelus in se admittere non vererentur. Ita Graeci sentientes, judicio constituto, quod a Danai filiabus undequinquaginta commissum erat, vindicandum esse existimaverunt, et ipsi dii hoc judicium ratum esse voluerunt, poenam illis irrogantes, ut apud inferos cribris aquam haurirent, quo omnes mortales admonerentur, qui ad hominum societatem adjuvandam nihil studii, nihil operae, nihil facultatum conferret, eum agere vitam inertem atque inutilem; Hypermnestram autem, quae sponsi vitae pepercerat, nec a matrimonio declinaverat, quum a patre accusata esset, ipsa Venere dea eam defendente, sceleris crimine absolverunt. Hoc judicium et de undequinquaginta filiabus et de Hyper-

mnestra continebatur tertia sive postrema fabula, cujus singulae adhuc partes exstant.

Reliquum est, ut argumentis quibusdam, cum ab historia, tum a vitae consuetudine atque ingenio totius graecae nationis petitis, comprobem, eam, quam proposuerim, mythi explicandi rationem a mente poetae non alienam fuisse. Antiquissimis literarum graecarum monumentis edocemur, prima vitae sacerdotalis elementa vel ex Africa vel ex Asia in Thraciam, et inde in Graeciam esse traducta [23]). Sed quum graeca gens magis, quam alia, iam ab initio ad res bellicas et ad vitam civilem se inclinaret, illa latius emanare non poterat, et pauci tantum, qui eam amplectebantur, ut servarent, quod traditum erat, secretas coibant societates. Sic primum Orgia et deinde Eleusinia sacra orta esse, veri simillimum videtur. Quae posteriora, quum extra terminos, quibus in principio circumscribebantur, non egrederentur, et a rebus publicis remota essent, invidiam non subeuntia plura per saecula ab iis, qui illorum mysteriis initiati erant, tacite celebrabantur. Posteaquam autem Graeci illo tempore, quo a Persis bello petebantur, Asiae nationes magis cognoscere, et de earum moribus, disciplinis, institutis ac tota vita et publica et privata sciscitari coeperunt, saepius iis occasio est data, ut, quae ipsis cum illis communia essent, et quibus rebus ab illis differrent, secum reputarent. Huc accessit, ut tum maxime, jugo servili, quod finitima Asia iis impositura erat, exuto et virtute sua perspecta, mente quadam altiori incitati de cunctis rebus ita sentire inciperent, ut nihil, nisi quod ab ipsis profectum erat, probarent. Inprimis vero Aeschylus, qui hac suae gentis gloria, si quis alius, laetabatur, in poematis suis non omisit, eam augere et ornare, et hinc factum est, ut, contentione religionis, cui addicti erant homines, orientis terras incolentes, et graecae facta, quum vidisset, quos errores illa, quae esset in cultu ac caeremonia naturae, nullis legibus adstrictae, ex se gignere posset, fabulam de Iouis progenie ad scenam componeret, ex qua populares intelligerent religionis suae praestantiam, qua nulla alia aptior esset ad vitae humanae rationes constituendas ac temperandas. Et profecto haud ignorari potest, Graecos in eo genere plerisque antiquitatis populis superiores fuisse. Nam etsi iis,

---

[23]) Hoc confirmatur testimonio Hermanni, viri eruditionis laude praestantissimi, qui in libro: Lehrbuch der griechischen Staatsalterthümer etc. Heidelberg 1836, et vitae sacerdotalis et ceterorum ordinum segregatorum vestigia in primis civitatibus graecis reperiri auctore Platone contendit. Locus Platonis, ad quem provocat, et qui invenitur in Timaeo p. 24 A., hic est: *Πολλὰ γὰρ παραδείγματα τῶν τότε παρ᾽ ὑμῖν ὄντων ἐνθάδε νῦν ἀνευρήσεις, πρῶτον μὲν τὸ τῶν ἱερέων γένος ἀπὸ τῶν ἄλλων χωρὶς ἀφωρισμένον, μετὰ δὲ τοῦτο τό τῶν δημιουργῶν κ. τ. λ.*

quum doctrinae divinitus patefactae luce carerent, multa obstabant, quo minus in cognoscendis rebus, ad cultum dei pertinentibus, vera viderent, tamen in eo excellentes fuerunt, quod omnem religionis vim in civitate ita collocandam esse censebant, ut ea tanquam mens totam rempublicam contineret et regeret, nec tamen ejus commodis ullo modo obesset [24]). Fuit enim omnino hujus nationis ingeniosissimae proprium, in iis, quae cogitabat, fingebat vel instituebat, providere et efficere, ut summa rei una esset, h. e., ut singulae partes et inter se et cum toto praeclare consentirent, nec ulla reperiretur, quae aliis adversans id, quod spectatum esset, turbaret. Maxime vero cavebat, ne in actiones et vitam discrepantiam conferret, probe intelligens, in ea caussam esse quaerendam, cur et familiae et civitates perirent. Itaque omnibus in rebus, sive ad hominum mores, sive ad artem, sive ad disciplinarum genera sive ad reipublicae administrationem pertinebant, tanqnam natura duce, recta, convenientia ac constantia sequebatur, contraria autem aspernabatur [25]). Atque hoc

---

[24]) Religionem apud Graecos sanctissimam esse habitam, id iam ex eo adparet, quod sine ea nihil neque in rebus publicis neque privatis gerere solebant, et ipsam civitatem, nisi religionis fundamento niteretur, firmam ac stabilitam non esse putabant. Hoc erat Palladium, quod, ut erat in fabulis, e coelo excidit, et quod, quamdiu integrum servabatur, a republica perniciem propulsavit. Itaque legibus erat edictum, ut, si quis religionem publice receptam violare tentasset, de eo supplicium sumeretur. Sed eandem ob causam, quoniam tantum ei tribuerunt, primo reges, deinde, regibus exactis, nobilissimae gentes omnibus praeerant caerimoniis, anxie caventes, ne quidquam de juro suo detraheretur. Hoc ita fuisse perspicere possumus ex iis, quae Aristot. Pol. III. 9. 8. dixit: *ὕϛερον δὲ τὰ μὲν αὐτῶν παριέντων τῶν βασιλέων, τὰ δὲ τῶν ὄχλων παραιρουμένων, ἐν μὲν ταῖς ἄλλαις πόλεσι θυσίαι κατελείφθησαν τοῖς βασιλεῦσι μόναι κ. τ. λ.* Item legitur in Plat. Politic p. 290 E., et Servius ad Virg. Aeneid III, 80 hoc addit: maiorum haec erat consuetudo, ut rex esset etiam sacerdos et pontifex. Quod igitur Herderus in libro: Herder's Ideen (3. Th. 14. Buch 2. cap. S. 339—249) de vi ac potestate religionis in civitate romana non minus ornate, quam scienter disseruit, hoc quoque ad graecas civitates accomadari potest. Praeterea conf. Joh. Potters Griechische Archäologie übersetzt von Rambach etc. 1. Th. S. 490.

[25]) In hac totius vitae convenientia Graeci omnia posita esse censebant; itaque apud eos constitutum erat, ut omnes iam a pueris se dederent musicis, non ut istam artem aliquando factitarent, sed ut inde discerent, quemadmodum in cantu et fidibus, si quid discrepuisset, omnis symphonia perturbaretur, sic in corporis et animi motibus, nisi omnia temperata et ad certos quosdam modos ac numeros revocata essent, non reperiri, quod inter se congrueret et praeclaram illam in omni vita aequabilitatem efficeret. Apertissime hanc rem tetigit Plato in Protag. c. XV, ubi dixit: *„ἐπειδὰν κιθαρίζειν „μάθωσιν, ἄλλων αὖ ποιητῶν ἀγαθῶν ποιήματα διδάσκουσι, μελοποιῶν, εἰς „τὰ κιθαρίσματα ἐντείνοντες, καὶ τοὺς ῥυθμούς τε καὶ τὰς ἁρμονίας ἀναγκά„ζουσιν οἰκειοῦσθαι ταῖς ψυχαῖς τῶν παίδων, ἵνα ἡμερώτεροί τε ὦσι, καὶ „εὐρυθμότεροι καὶ εὐαρμοςότεροι γιγνόμενοι χρήσιμοι ὦσιν εἰς τὸ λέγειν τε καὶ „πράττειν· πᾶς γὰρ ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου εὐρυθμίας τε καὶ εὐαρμοςίας δεῖται“* Aristides quoque Quintil de Music. I. p. 2. eandem vim in musicis inesse putans,

inde factum esse videtur, quod Graeci non extrinsecus copiam rerum, ab aliis populis iam perceptarum et illorum more ac consuetudine conformatarum acceptam memoria et mente comprehenderunt, sed quod suam quandam viam ingredientes ea, quae in ipsis orta ac procreata erant, naturae lege excitarunt, et ita ad maturitatem perduxerunt, ut tanquam ex eodem solo nata non sibi officerent, sed concordissime juxta et prope posita eo, quo deberent, contenderent. Hic est igitur is, quem viri docti recentioris temporis organicum vocant, animi cultus, et hinc exstitit mirus ille singularum et artium et doctrinarum et institutorum consensus concentusque, quem omnes omnium posterorum temporum populi sunt admirati. Propter hoc studium simplicitatis atque aequabilitatis, in quocumque vitae genere spectandae, religionis, qua nihil praestantius nihilque magis expetendum duxerunt, hanc potestatem in civitate esse voluerunt, ut, quidquid honestum, decorum, rectum et verum esset, id auctoritate sua sanciret ac tueretur, sed his simul se regionibus contineret, ut ea, quae proxime ad rempublicam pertinerent, nullo modo retardaret vel praecluderet. Etenim Graeci sic argumentati esse videntur; omnem mentis humanae duplicem esse actionem, unam, quae introrsus versa divinam vim, quae hominum animis esset insita atque innata, eliceret et incenderet, alteram, quae intenta ad externa suppeditaret, ubi illa se patefacere, et, quod sui muneris esse cognovisset, perficere posset; idcirco societates esse initas, ut utraque actio, quae cogitatione quidem distingueretur, sed re confusa esset, haberet, quo adjuta id, quod propositum esset, adsequeretur. Itaque arbitrabantur, religionem et disciplinam civilem, quum utraque eodem civitatis fundamento niteretur, non ea esse vi ac natura, ut in contrarias partes discederent, sed ut se invicem adtingerent, et in forma civitatis invenirent, ubi in unum confluerent [26]). Non

---

hortatus est adolescentes, ut iis operam navarent: *„πᾶσα ἡλικία καὶ σύμπας βίος, „ἅπασα δὲ πρᾶξις μουσικῆ μόνη τελέως ἂν κατακοσμηθείη“*. Haec caussa esse videtur, cur Cicero, qui Graecis quasi exemplaribus ad omnem industriam et intelligentiam ducebatur, popularibus suis in lib. de Off. I., c. 40 praeceperit: „Sicut „in fidibus aut in tibiis, — sic videndum est in vita, ne forte quid discrepet, vel „multo etiam magis, quo maior et melior actionum, quam sonorum, concentus est.“

[26]) Hoc considerans vituperavit Aristoteles in Politic. IV, 4 Platonem, quod dixisset, rerum necessariarum gratia societatem civilem esse initam, et non potius honesti caussa *„ὡς τῶν ἀναγκαίων γὲ χάριν πᾶσαν πόλιν συνεςηκυῖαν, ἀλλ᾽ οὐ τοῦ καλοῦ μᾶλλον“*. Deinde hoc quoque documento est, religionem a reipublicae administratione non disjunctam fuisse, quod, ut modo memoravi, reges vel gentes nobilissimae secerdotum muneribus fungebantur. Itaque legimus apud Virgilium lib. 3, 80

Rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos

et Lacedaemone reges, simulac nacti erant regnum, se Jovis coelestis et Lacedaemonii sacerdotes creari jusserunt. Praeterea plerique sacerdotes vel per magistratus vel per suffragia populi eligebantur, et idcirco *αἱρετοὶ* vocabantur.

est quidem hujus quaestionis, dijudicare, quatenus ita sentientes id, quod verum est, vel viderint, vel non viderint, sed inde tamen intelligi potest, hominibus, qui in ea opinione versarentur, probari non potuisse religionis genus, in quo initia ac semina vitae commodis humanae societatis inimica inessent. Hanc ob caussam ab hujus nationis moribus non abhorret, quum traditur, et Aegyptios, qui, omni honestate repudiata, corporis voluptatibus indulsissent, in graecam terram egressos, vi illata, periisse, et Danai filias, quae aspernantes conditionem, qua natae essent, sponsos necassent, justas debitasque poenas persolvisse. Existimabat enim, ubi divina et humana sapienter permixta essent, ibi communem salutem augeri, et civitatem, quae hoc legibus sanxisset, id, quod vellet, facillime consequuturam esse. Itaque Argivi Hypermnestram, quae Lynceo pepercerat, nec matrimonium detrectaverat, quum a Danao accusata esset, quod contra jussum fecisset, omni culpa liberarunt.

Hanc esse totius fabulae summam, et hinc maxime perspici posse puto, quid Graeci, quum illam fingerent, praecipere voluerint. Narrabant eam homines sapientes, ut multitudo imperita facilius perciperet, qua lege ac necessitate divina adtingerent humana. Ut enim corpus mente atque ratione, quae in eo esset, dignitatem aliquam nancisceretur, nec tamen, propter quod creatum esset, id efficere desineret, sic genus quoque humanum, etsi ad majus quoddam, quam ad ea, quae natura disideraret, explenda factum et ita genitum esset, ut religionis vi ad dei similitudinem accederet, tamen censebant ignoraturum esse, cur in hac vita esset, si id, quod ad eam pertineret, prorsus sperneret ac rejiceret. Propterea amorem, hominum animis natura ingeneratum, esse interjectum ac medium inter divina et humana, ut ea inter se consociaret, et tanquam momentum esset, quo illa se complecterentur. Idcirco ad hanc Graecorum intelligentiam sensumque accommodatum est, quum in Supplicibus *vv.* 1016—18 Venus velut dea potentissima celebratur, eique una cum Junone proximus a Jove locus adsignatur:

Κύπριδος δ᾽ οὐκ ἀμελεῖ θε —
σμὸς ὅδ᾽ εὔφρων· δύναται γὰρ
Διὸς ἄγχιστα σὺν Ἥρᾳ

et in Danaidibus non Cereri, quod ex cl. Stuhrii sententia arbitrareris, sed Veneri partes sunt datae, ut caussam Hypermnestrae defendendam susciperet, pacisque oratrix exsisteret.

Ex his igitur cognoscitur, a Graecorum certe moribus atque eruditione non abhorruisse, mythum, qui est de Io ejusque progenie, quemadmodum explicui, sic interpretari. Sed etiam Aeschylum, quum hunc mythum scenice ornaret, eadem respexisse et in mente agitasse, id cum ex animi pietate ejus,

qua omnia, quaecumque vel sensit, vel fecit, ad religionem rovocaret, tum maxime ex eo conjici potest, quod passim in tragoedia de diis, praesertim de Jove ita loquitur, ut non solum ipse, quod religionis caput esset, ceteris clarius dispexisse, sed etiam in popularium animis meliores deorum rerumque divinarum notiones excitare voluisse videatur. Itaque, ut exempli caussa pauca adferam, *v.* 26 Jovem hominum sanctorum religiosorumque conservatorem vocat

Ζεὺς σωτὴρ ὁσίων ἀνδρῶν.

vv. 81—96 ei vim ac potentiam adtribuit, quae infinita sit et regionibus circumscribi nequeat, quae nunquam fallatur vel impediri possit, quominus propositum adsequatur, quae humanam intelligentiam longe excedat, et hominum insolentium ac fastidiosorum animos comprimat

Διὸς ἵμερος οὐκ εὐθήρατος ἐτύχθη
Πάντα τοι φλεγέθει κἂν
Σκότῳ, μελαίνᾳ ξὺν τύχᾳ
Μερόπεσσι λαοῖς
Πίπτει δ' ἀσφαλὲς οὐδ' ἐπὶ νώτῳ
Κορυφᾷ Διὸς εἰ κρανθῇ πρᾶγμα τέλειον·
Δαυλοὶ γὰρ πραπίδων δά —
σκιοί τε τείνουσιν πόροι
Κατιδεῖν ἄφραστοι
Ἰάπτει δ' ἐλπίδων ἀφ' ὑψιπύργων
Πανώλεις βροτοὺς κ. τ. λ.

vv. 519—21 eum summum, expletum ac perfectum et beatissimum deum vocat:

Ἄναξ ἀνάκτων, μακάρων
Μακάρτατε, καὶ τελέων
Τελειότατον κράτος, ὄλβιε Ζεῦ.

v. 569 eum temporis infiniti moderatorem adpellat:

Ζεὺς αἰῶνος κρέων ἀπαύστου.

vv. 590—93 docet, eum nullius alius numinis imperio esse subjectum, nec omnino quidquam reperiri, quod se majus esse agnoscat:

Ὑπ' ἀρχᾶς δ' οὔ τινος θοάζων
Τὸ μεῖον κρεισσόνων κρατύνει
Οὔ τινος ἄνωθεν ἡμένου σέβει κάτω.

v. 619 cujusque rei eventum ex Jovis arbitratu pendere dicit:

Ζεὺς δ' ἐπέκρανεν τέλος.

vv. 793—94 sanctitatem et justitiam Jovis, qui res violentas oculis adspicere vereatur, praedicat:

Βίαια μὴ φίλοις ὁρῶν
Ὄμμασιν ἐνδίκοις.

vv. 1043—44 ejus majestatem altitudinemque cum mari profundo, quod nemo explorare possit, comparat:

Τί δὲ μέλλω φρένα Δῖαν
Καθορᾶν, ὄψιν ἄβυσσον;

Quum haec et alia hujusmodi legimus, nonne nobis confitendum est, Aeschylum, quoad homo divino lumine non collustratus potuerit, ad doctrinae christianae veritates proxime accessisse? Haec mens pia ac religiosa, quae in toto poemate spirat, maximo est documento, poetam non res quasdam humanas levesque, sed eas, quae ad ipsos deos deorumque cultum pertinerent, persequi voluisse, et hanc ob caussam dolendum est, maximam hujus didascaliae partem temporis injuria periisse; quae si integra exstaret, tum clarius intelligeremus, quid Aeschylus, qui in eo genere aetatis suae personam gessisse putandus est, de religionis vi atque auctoritate cum civitatis commodis compensanda sensisset.

Sed quum extra cancellos, quos hujus libelli ratio mihi circumdedit, iam egressus sim, id, quod tertium mihi proposueram, in aliud tempus differendum est. Nunc transiens ad id, propter quod haec scripta sunt, provinciae hujus atque urbis Proceres, Magistratus, discipulorum parentes et, quicumque scholis, literarum bonarum artiumque cultricibus, favent, ad solemnes actus, quos supra indixi, frequentia Sua celebrandos ornandosque, omni, qua decet, observantia invito.